4°
Diss.
4695

4° Diss. 4695.



Domus S.S. Adelhaidis et Caietani.

INTRODVCTIO
IN
VNIVERSVM IVS CANONICVM,

QVAM
SVB CLEMENTISSIMIS AVSPICIIS
CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
HIERONYMI
IOSEPHI
FRANCISCI DE PAVLA,
ARCHIEPISCOPI ET S. R. I. PRINCIPIS SALISBVRGENSIS etc. etc.
IN
ALMA ET ARCHIEPISCOPALI VNIVERSITATE SALISBVRGENSI AVTHORE ET PRAESIDE

P. MODESTO SCHMETTERER,
ORD. S. BENEDICTI IN ANTIQVISSIMO MONASTERIO AD S. PETRVM SALISBVRGI PROFESSO I. V. D. ALTEFATAE SVAE CELSITVDINIS etc. etc. CONSILIARIO ECCLESIASTICO, ET SS. CANONVM PROFESSORE ORDINARIO p. t. FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

PVBLICAE DISPVTATIONI SVBIECIT
MVLTVM REVERENDVS AC DOCTISSIMVS


D. ANDREAS SVTOR,
PRESBYTER EX INSTITVTO CLERICORVM SAECVLARIVM IN COMMVNI VIVENTIVM I. V. CANDIDATVS EXAMINATVS ET APPROBATVS.

DIE 26. AVGVSTI ANNO SALVTIS REPARATAE
M DCC LXXII.
HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS.

SALISBVRGI, TYPIS IOAN. IOS. MAYR, P. M. HAERED.

CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
HIERONYMO
IOSEPHO
FRANCISCO DE PAVLA
ARCHIEPISCOPO
ET
S. R. I. PRINCIPI SALISBVRGENSI S. SEDIS
APOSTOLICAE LEGATO NATO,
ET
GERMANIAE PRIMATI,
EX
ILLVSTRISSIMA ET ANTIQVISSIMA PRO-
SAPIA S. R. I. COMITVM
DE
COLLOREDO
IN
VVALSEE ET MELS,
DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO etc. etc.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



CELSISSIME
AC
REVERENDISSIME ARCHIEPISCOPE
ET
S. R. I. PRINCEPS
DOMINE DOMINE
AC
MAECENAS CLEMENTISSIME!
etc. etc.

Poſtquam TIBI ſibique feſtiuos inter plauſus felicior gratulata eſt Iuuauia, CELSISSIME PRINCEPS! minimum tandem et merito vltimum Inſtitutum noſtrum ad excelſum dignitatis TVAE ſolium aduoluitur.

Et quamquam in priuato, quo TVA nos CELSITVDO dignabatur alloquio, plaudentis animi vocisque ſigna pro noſtra verecundia expoſuimus; in publicum tamen adplauſus pietatisque officium hodie effundimur, vbi Theſes hasce, genuinas voluntatis noſtrae teſtes, CELSISSIMO TVO nomini dicamus, atque conſecramus.

Neque mireris ſapientiſſime PRINCEPS, quod dignitatis TVAE ſplendorem minus veriti, libellum hunc ad TVAS manus deferamus. Acerba enim vtriusque fori ſors, et iniqua conditio eſt: atque dum nullo vmquam tempore fortiora Ius noſtrum praeſidia deſideraſſe palam eſt, quam aeuo hoc

noſtro, quo leges ſaluberrimas, tantisque olim ſtudiis adamatos Canones ad priuatas cuiuslibet cupiditates trahi ac omni ex parte impugnari conſpicimus, vnde, quaeſo! luctae huic meae auſpicatior Tutela accerſenda foret, quam a TE, CESISSIME PRINCEPS, cuius ſumma virtus, et exploratiſſima pontificii non minus, quam caeſarei Iuris peritia in viridi iamiam aetate vsque eo ſeſe porrexerat, vt ipſa TE Roma ex tot tantisque ab omni ſcientiarum genere ſpectatiſſimis aeque ac celeberrimis vniuerſae Germaniae Doctoribus ſupremi tribunalis ſui, quod Rotam vocant, Auditorem conſtitutum tenerius, neſcio, an felicius in ſinu ſuo fouerit.

Quo certe iam tunc obtinuisti, vt nemo esset, qui non illico ex dexterrimis Aquilae TVAE gentilitiae alis altissimos quosque volatus praesagiret.

Et profecto non vanum erat augurium. Ambiebant enimuero amplissima CELSITVDINEM TVAM munia, vsque dum iuuauiensis Ecclesia non sine piissima Episcopatus gurcensis inuidia, quem decem fere annis a Spiritu sancto regere positus eras, TE Apostolicae Sedis Legatum Natum, Germaniae Primatem, et Metropolitam ad totius Patriae solatium vt optimam partem elegerit. Sane munere hoc, cui multorum humeri nostris praesertim temporibus fuissent impares, tanta solicitudine,

con-

consilio, atque constantia perfungeris, vt me tacente vox populi satis superque loquatur; tantum enim abest, vt huic negotiorum moli succumbas, vt etiam Ecclesiae TVAE, totique Prouinciae vel ad exterorum admirationem mirifice prospectum eas.

Atque tametsi indoles ex Illustrissimis et Toga et Sago splendidissimis Maioribus hausta sit longe praeclarissima, nihil tamen auito huic sanguini CELSITVDO TVA tribuit, quum TE omnem immortalis TVI nominis gloriam sola in virtute collocare suspensis animis admiremur.

Testatiora haec sunt, quam vt angustis Iuuauiae limitibus constringi possent. Communis quoque

ex-

exterarum nationum fama eſt, quae TE aequi bonique defenſorem, orphanorum et viduarum Patrem, preſſorum et afflictorum Maecenatem munificentiſſimum quaquauerſus collaudat. TVARVM ergo virtutum ſublimitatem etſi non eo, quo par eſt, obſequio, gratiſſimo tamen, quo valemus animo deuotiſſime reueremur. Quid? quod in ea, qua totus quantus fulges, clementia penitus confidamus, fore, vt hae pagellae quomodocumque viles, TIBI ſoli non vileſcant.

Si vero cuiquam prae ceteris coalumnis meis CELSISSIMO ſub auſpicio TVO perpetuum reuerentiae, gratitudinisque monumentum ponere fas

aequum-

aequumque fuerit: certe ille ego ſum, qui ſacros meos ordines cum ipſa Dioeceſi, in quam tribus abhinc annis ſuſceptus ſum, Archiepiſcopalibus aris TVIS ex aſſe in acceptis refero. Admitte igitur, et tamquam TVVM protege non modo hunc libellum, ſed et nos omnes TVA ad ſeruitia demiſiſſime conſecratos, ac Inſtitutum noſtrum anno 1640. in Archidioeceſin hanc introductum, a Reuerendiſſimis feliciſſimae recordationis Anteceſſoribus IOANNE ERNESTO plantatum, et SIGISMVNDO III. nouiſſime rigatum in qualecumque felicitatis ſuae incrementum ſub vmbra alarum auitae TVAE Aquilae Clementiſſime foueri patere. Haec dum enixiſ-

ſime

ſime efflagitamus, ante Archiepiſcopale ſolium TVVM prouoluti ſacratam dextram ſubmiſiſſimo oſculo veneramur precamurque, vt ad metropolitanae Eccleſiae TVIS curis concreditae ſalutem, et ad commune ſubditorum omnium votum, coelo auſpicatiſſimum regimen plurimos in annos prolongante, ſoſpes et incolumis viuas.

REVERENDISSIMAE, ET CLEMENTISSIMAE CELSITVDINIS TVAE.

Obſequentiſſimi et ſubiectiſſimi Clerici ſaeculares in communi viuentes.

APPROBATIO

SACRAE FACVLTATIS THEOLOGICAE.

Opus authorem laudat. Hinc abſtinendum exiſtimo laudum encomiis, quae iſta introductio in Ius canonicum ab aequis rerum aeſtimatoribus reportabit, in qua Iuris canonici Candidatis fontium ſuorum dignitas, authoritas, atque vtilitas commonſtrantur. Gratulor clariſſimo authori praeclarum hunc partum, cui meum calculum eo promptius adiicio, quo minus euoluenti opus occurrerit, quod Religionis romano - catholicae dogmata vel minimum offendat. Datum Salisburgi die 16. Auguſti 1772.

P. Michael Lory, O. S. B. Profeſſus Tegernſeenſis Ss. Theologiae Doctor, ac eiusdem in ſpeculatiuo - dogmaticis Profeſſor ordinarius, Celſiſſ. ac Reuerendiſſ. Archiepiſcopi et S. R. I. Principis Salisb. Conſiliarius eccleſiaſticus, p. t. S. Facultatis Decanus.

APPROBATIO

INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE.

Quanta in vtramque Rempublicam mala redundent, ſi cauſarum momenta ex putidis principiis definiantur, nemo eſt, qui ignoret; optimo igitur conſilio puriores Iurisprudentiae eccleſiaſticae fontes aperire ſecum conſtituit P. R. ac clariſſimus Author, vt hasce diſſertationes non modo in perennem nominis ſui gloriam, ſed et ad vtilitatem diſcipulorum prorſus inſignem prelo committendas, aliisque etiam, Nouatoribus praeſertim, ſummopere commendandas eſſe, cenſeam. Datum Salisburgi die 12. Augusti 1772.

IOANNES PHILIPPVS STAINHAVSER, I. V. D. Celſiſſimi ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi et S. R. I. Principis Salisburgenſis etc. etc. Conſiliarius actualis aulicus, Iur. publ. Naturae et Gentium, nec non codicis Profeſſor ord. Facultatis iuridicae Senior.

PRAEFATIO.

Miraberis: amice Lector! quod hanc introductionem in Ius canonicum vniuersum *tibi offerre praesumam, in qua praeter originem, incrementa, ac fontes Iuris nostri nihil continetur. Materiam toties coctam a me denuo recoqui dices. Verum mitius a te iudicium exspecto, si causam, quae me, vt operi huic manum admouerem, impulit, intimius perspexeris. Erat haec non alia, quam DD. Auditorum meorum vtilitas quin et commoditas. Non pauci illorum disciplinis philosophicis vix per biennium imbuti, ad Iurisprudentiam tum ecclesiasticam, tum ciuilem properant: ast dum illi incessanter ad Leges diuinas, ad Conciliorum Canones, et Decreta Pontificum prouocare audiunt, nescio, quas diuersas his de rebus quiuis pro lubitu suo sibi ipsi fabricat ideas: de hoc saltem experientia edoctus testis sum, quod raro eosdem media incedere via contingat. aliqui audito sacrarum litterarum elogio quacumque ex lege siue veteri siue noua desumto ita conuicti sunt, vt vel mussitare in contrarium sibi summo ducerent piaculo, non attendentes, plura olim pro Republica Iudaeorum a prouidentissimo Numine sancita fuisse, quae Ecclesiae nostrae Fundator Christus Iesus vna cum Synagoga sepeliri permisit. Alii*

vice

vice versa, simplicitate an temeritate ducti, ipsus haereo, saluberrimas tum Conciliorum, tum romanorum praesertim Pontificum Canones et Decreta contrario usu sublata, abolita et cassata penitus somniant, nullo habito respectu, an materia talis sit, quae mutationi vllo vmquam tempore obnoxia esse queat. Horum itaque vtilitati hanc introductionem in Ius canonicum consecraui, vt facili labore discant, debitam cuique ex recensitis fontibus tribuere reuerentiam. Consecraui autem simul et commoditati, ne aut magnis sumtibus illos sibi comparare necesse habeant authores, qui eadem de re fuse non minus, quam erudite scripserunt, aut etiam ne horum nimia prolixitate, horum vero breuitate absterriti pedem, quem semel fixerunt, retrahere incipiant. Tu Lector beneuole! animum saltem hunc meum proba, si in opere ab homine scripto quid humani deprehenderis, quod probare nequeas. Ceterum vale et fauere perge.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE IVRE CANONICO IN GENERE, EIVSDEMQVE ORIGINE ET INCREMENTIS.

CAPVT I.

DE NOMINE, DEFINITIONE, OBIECTO, DIVISIONE ET FINE IVRIS CANONICI.

§. I.

Ius canonicum, quod alio nomine *Ius ſacrum*, *Ius diuinum*, *Ius Eccleſiaſticum*, vel *Ius pontificium* audit, in praeſenti pro complexu regularum accipimus. *Canon* enim *graece*, *latine regula nuncupatur*, regula vero dicta eſt, vel *quod regat*, *vel quod normam recte*

viuendi praebeat, vel quod distortum, prauumque corrigat. Can. 1. et 2. dist. III.

Quo in sensu haec Iuris canonicij vocabula tum a Catholicis, tum a Protestantibus accipiantur, satis erudite exponit Magnif. P. Zallvvein in suis princip. Iuris eccles. Tom. I. quaest. I. Cap. I. §. I. et II. Illud hic non omittendum censeo, quod, dum vocem *Canon* regulam duce Isidoro lib. VI. Etymolg. cap. 16. interpretamur, minime assensum praebeamus illis, qui ideo potestatem leges ferendi Ecclesiae nostrae abnegant, quia eiusdem canones statuta tantum, seu regulas nuncupari audiunt: quod vtiqe fieri haud deberet, si legis propriae dictae forma non destituerentur. Absit hoc! eamdem obligandi vim hisce regulis ac ipsis legibus inesse lubentes fatemur. Ratio vero, cur Ecclesia a legis vocabulo abstinendum censuit, sequens non adeo incongrue assignari solet: lex quemdam rigorem importat, cuius virtus est *imperare, vetare, permittere, punire.* l. 7. ff. de legibus. Ecclesiae vero regimen vice versa suaue est, trahit ab initio in funiculis charitatis, inuitat ad obsequendum etc. Inuitantis vocem si malevoli non audierint, tum demum et seueritati locus erit: audient eamdem imperantem, vetantem, imo et seuere castigantem.

§. II.

Has regulas non ab vno eodemque authore desumimus, sed multiplices earum fontes summa, qua par est, reuerentia suscipimus. Primas deferimus verbo Dei tam scripto, quam tradito; libros enim sacros prae omnibus reliquis libris et scriptis perpetuas, ac infallibiles tum fidei tum morum regulas tradere, nemo est, qui ignoret. Doctrinae, quas Ecclesia, suggerente illo spiritu veritatis suis filiis pro morum ac vitae directione praescribit, non immerito canonum loco habendae sunt: quia censentur *statuta ipsius Spiritus* sancti: *Regulae* eodem *Spiritu* assistente ac instruente *conditae, canones*

nes

nes vere *diuini* etc. quibus elogiis conciliorum decreta extollere SS. Patribus familiare eſt.

Haec encomia non illis tantum conciliis, quae ex vniuerſi orbis catholici Praeſulibus congregantur, attribuimus, ſed, cum quadam tamen proportione, vendicamus etiam particularibus Epiſcoporum conuentibus, in quibus viri zelo apoſtolico pleni tutiſſimas morum regulas praefigunt, quas priuatus quiuis tamdiu ſumma veneratione obſeruet, neceſſe eſt, quamdiu vniuerſalis Eccleſia contrariam deſuper mentem ſuam non declarat. Hic ſenſus erat S. Agobardi Archi-Praeſulis Lugdunenſium de Synodis particularibus Galliae loquentis, cuius verba refert Van-Eſpen in tract. hiſt. canon. part. I. cap. I. §. I.

§. III.

Decreta romanorum Pontificum non vltimum inter has regulas obtinent locum; nam et haec rectiſſimam viuendi normam praebent, diſtortum prauumque corrigunt, ac hoc ipſo naturam huiuscemodi regulae ex aſſe participant. Eadem authotitas adſcribitur canonibus conciliorum, et decretis Pontificum in cap. 1. diſt. XX, vbi notabile iſtud Leonis IV. effatum occurit: Non conuenit, aliquem ſanctorum *Conciliorum canones* relinquere, vel *decretalium regulas*, quae habentur apud nos ſimul cum canonibus.

Mira proin eſt opinio illorum, qui Ius noſtrum duas quaſi in partes ſecant, quarum primam conſtitueret *Ius canonicum* proprie ſic dictum, conſtans nempe ex Ss. conciliorum canonibus; alteram vero efficeret *Ius pontificum* ex Pontif. rom. decretis conflatum. Si Ius canonicum a canone nomen accepit, canonis autem nomine regula eccleſiaſticae diſciplinae venit, perſpicuum dubio procul cuiuis erit, non magis conciliorum decreta, quam ſummorum Pontificum ſtatuta, quibus huiuscemo-

di regulae proponuntur, canones dici debere. Ego ſane exiſtimo, conciliorum decreta non ideo canones appellari, quod a conciliis prodierint; ſed quod eccleſiaſticae diſciplinae regulas nobis exhibeant, quas ſi non exhiberent, tum ne canonis quidem titulo ſtatuta licet conciliaria digna forent, id, quod exemplis corroborat Bartholus Epiſc. Feltrienſ. inſtit. iur. can. cap. I. §. V.

§. IV.

Doctrinae Sanctorum Patrum quanta ſemper in aeſtimatione fuerint, alias neminem latere poteſt. Eccleſia vtiliſſimas omni aeuo morum regulas ex eorumdem operibus collegit, collectas fidelibus ad imitationem propoſuit, optime gnara, illos eſſe viros aetate venerabiles, doctrina et ſanctitate vndequaque excellentes, qui nouellam Eccleſiam paſcerent verbo, et firmarent exemplo.

Quaedam epiſtolae veterum Patrum, quae diſciplinae regulas continebant, ſpecialiter canonicae vocatae fuerunt: cuiusmodi ſunt epiſtolae non nullae S. Dyoiſii alexandrini, S. Gregorii niſſeni, S. Cyrilli alexandrini aliorumque, quas graeci etiam vt canones habuerunt, et ſuo canonum codici inſeruerunt. Citat Bartholus inſt. iur. can. cap. I. §. III.

§. V.

His praelibatis Ius canonicum iuxta nominis etymologiam definimus, quod ſit ſyſtema regularum (vel ſi mauis) legum ſacrarum e ſcripturis diuinis, traditionibus, conciliorum canonibus, romanorum Pontificum decretis, et Ss. Patrum doctrinis deſumtarum ad regendam Eccleſiam, informandos

dos mores, atque ſalutem etiam animarum procurandam, conflatum.

Syſtema regularum ſacrarum Ius noſtrum appellamus, quia eaedem non fortuito, quaſi in vnum volumen congeſtae, ſed a compilatoribus ad certas ſedes reuocatae fuerunt. Ceterum an ſyſtema hoc numeris omnibus abſolutum ſit, nec ne? ipſimet ſubſiſtimus. Interim tamen priuato haud liberum eſſe, vt nouum ſubſtituat, pro certo tenemus.

§. VI.

Quum hae regulae ad regendam Eccleſiam et ad mores informandos deſeruire debeant, ex §. praeced. oppido neceſſarium eſt, vt negotiis hominum applicentur. Hunc in finem ſpeciali indigemus ſcientia, quae nos doceat leges rite intelligere, obſcuriores, ſubinde occurrentes, ſobrie interpretari, et demum bene intellectas ad caſus particulares recte applicare. Haec ſcientia eadem eſt, ac Iurisprudentia canonica, quae deſcribitur, quod ſit facultas recte interpretandi leges ſacras, easque ſcite applicandi in bonum Eccleſiae, ad morum inſtructionem, nec non ad ſalutem animarum.

§. VII.

Iurisprudentia canonica tali modo deſcripta ipſum Ius canonicum audit. Promiſcue enim Ss. canonum interpretes illud accipiunt, modo pro complexu legum, modo pro facultate leges rite interpretandi etc.

In poſteriori hoc ſenſu nomine Iuris canonici vtimur, dum dicimus, quempiam Ius canonicum docere, praelegere, audire, etc. vbi nec do-

docens nec discens intendit tantum scire illum cumulum legum sacrarum, sed insuper vterque in verum illarum sensum inquirit: vterque leges ad casus obuios applicare studet, et, si forte casus aliquis lege ipsa expresse decisus non inueniatur, ratione saltem legis ad eumdem procedit.

§. VIII.

Ius canonicum pro Iuris prudentia acceptum, quum vnice occupetur in legibus tum diuinis tum humanis recte intelligendis, et applicandis in bonum Ecclesiae et animarum salutem §. VI., aliud obiectum materiale non agnoscit, nisi leges ex recensitis §. V. fontibus deriuatas, quarum recta interpretatio ac debita applicatio obiectum formale constituit.

Sunt, qui *actiones humanas* pro obiecto materiali assignant, iustitiam vero mediante recta legum interpretatione in easdem introducendam pro formali statuunt, ex quibus simul sumptis consurgit vnum obiectum adaequatum *Actio humana iusta*. Diuersitas haec ex diuerso, quem fouent, Iurisprudentiae conceptu prouenit; aliter enim ac nos eamdem describunt dicendo, quod sit: *Facultas disponens ad actus iustitiae conformes*, vel *introducens iustitiam in actiones hominum*. Stet huic sententiae pace nostra authoritas sua; timendum tamen, ne limitum exinde confusio sequatur. Iurisprudentiae quidquam hic adscribitur, quod merito sibi vendicaret Iustitia; haec enim illa virtus est, quae suum cuique tribui mandat, et hoc ipso actiones humanas omni ex parte reddit iustas.

§. IX.

Systema illud regularum sacrarum ad regendam Ecclesiam, ad mores in formandos atque ad animarum salutem procurandam fuisse conflatum §. V. diximus. Ex quo illico se pro-

prodit finis Iuris canonici, qui duplex assignatur, proximus et remotus. Proximus est ordinatum Ecclesiae regimen externum, nec non omnimoda morum conformitas cum regulis ex laudatis ibidem fontibus desumtis: Remotus vero salus animarum, quam satis solicite respicit Ius nostrum.

Profecto curant Ss. canones, vt Ecclesia non tantum externe tamquam castrorum acies bene ac pulchre ordinata sit, sed internam quoque animae sanctitatem sat efficaciter intendunt, dum omnem peccati vmbram quam longissime a fidelibus arcere satagunt. Exemplo esse potest cap. 18. de restitut. spoliat. quod Iuris civilis rigorem corrigens remedium spolii contra tertium malae fidei possessorem extendit, ea ex ratione, *Quod non multum intersit quoad periculum animae, iniuste detinere, ac inuadere alienum.* Quum igitur ille, qui talem rem spolio ablatam scienter recipit, spoliatori quasi succedat in vitium, ideo contra possessorem huiusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurri mandat Ius canonicum in allegat. textu. Similia leguntur in capit. final. de praescript. vbi generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogatur, quae absque mortali peccato non potest obseruari: vt innummera alia testimonia in re tam nota silentio praeteream.

§. X.

Si obiectum finem, fontesque, ex quibus systema regularum sacrarum collectum est, penitius inspiciamus, magnam deprehendemus affinitatem Iuris canonici cum aliis disciplinis, maxime vero cum Theologia, Iure ciuili, ac Philosophia morali, quae Ethica dicitur; cum hisce tribus scientiis id commune habet, quod pariter mores hominum ad legum cynosuram componere studeat.

Praeterea Theologia ex iisdem fontibus ſua deſumit principia, ex quibus regulas noſtras deriuari inferius oſtendemus. Ius ciuile totum quantum occupatur in legibus explicandis, easdem ad caſus particulares applicando etc. Ius quoque ciuile intendit morum honeſtatem; hinc ſaepius, ſi quid in Iure canonico deciſum non reperitur, ad leges imperiales recurrendum eſt: *Quia ſicut leges non dedignantur Ss. canones imitari: ita et ſtatuta Ss. canonum Principum conſtitutionibus adiuuantur*, inquit Lucius III. in cap. I. de noui operis nunciat. Philoſophia moralis, quae mores hominum ad rectae rationis regulas componere docet, ex merito omnis Iuris poſitiui fons appellatur, cuius principia ex lumine rectae rationis petita Ius canonicum tantum perficit, dum eadem ad ſtateram diuinae reuelationis ac infallibilitatis eccleſiaſticae expendit, et expenſa demum negotiis hominum applicat, ſicque ipſo facto veram, non ſimulatam Philoſophiam profitetur.

§. XI.

Verum non obſtante arctiſſimo hoc affinitatis vinculo, quod dictas diſciplinas intercedit, facillimum nihilominus erit, cuilibet earum ſuos definire limites, ne inuicem confundantur. Inſtruit equidem Theologia mores fidelium, et quidem ex iisdem fontibus, ex quibus Ius canonicum ſua haurit principia, aſt diuerſa plane ſub ratione; nam Theologia conſiderans ſingulos fideles absque reſpectu ad aliquam communitatem, ſalutem animarum pro fine principali habet et praeſcribit regulas non agendi tantum ſed et credendi. Omnia haec longe aliter praeſtat Ius canonicum, quod inſtruit vniuerſam Rempublicam chriſtianam, aut ſingula etiam huius Reipublicae membra, ſed quatenus neceſſarium dicunt reſpectum ad communitatem eccleſiaſticam. Itaque pro fine primario ordinatum Eccleſiae regimen, ac pro ſecundario ſalutem

ani-

animarum intendit, hinc Regulae, quas praescribit, aut mores aut disciplinam ecclesiasticam concernunt, fidei vero canones S. Theologiae ex integro relinguit discutiendos.

§. XII.

Ius ciuile a canonico in quam plurimis differt; illud siquidem tractat de personis laicis, de rebus et negotiis temporalibus, nititur authoritate pure humana, nec alium agnoscit finem, nisi mere temporalem, tranquillitatem nimirum Reipublicae, cuius salus suprema lex est. Hoc vero personas instruit ecclesiasticas, rebus ad idem forum ecclesiasticum pertinentibus legem dicit, principia sua quoad potissimam saltem partem desumit tum ex scripturis diuinis, tum ex illorum elogiis, quibus infallibilis S. Spiritus assistentia promissa est, atque finem, vt diximus, longe sublimiorem respicit, salutem scilicet animarum et vltimato felicitatem supernaturalem, quam supremae legis instar prae oculis habet.

Hanc inter Ius vtrumque differentiam iam dudum insinuauit Gratianus ad canon. 41. causa II. quaest. 7. *Notandum est*, inquit §. 3, *quod duae sunt personae, quibus mundus iste regitur, Regalis videlicet, et Sacerdotalis. Sicut Reges praesunt in causis saeculi; ita Sacerdotes in causis Dei. Regum est, corporalem irrogare poenam: Sacerdotum spiritualem inferre vindictam.* §. 6. vlterius ita pergit: *Sicut non sine causa iudex gladium portat; ita non sine causa claues Ecclesiae Sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: isti habent claues ad exclusionem excommunicandorum, et reconciliationem poenitentium.*

§. XIII.

Ethica, seu morum Philosophia principia generalia deducit ex lege illa cordibus nostris inscripta, et duce sola recta ratione procedens, reuelationem aut aliam authoritatem non nisi praesupposita intellectus nostri debilitate admittit, et quo magis ad casus particulares descendit, et conclusiones a primo principio remotiores deducit, eo maiori sese errandi periculo exponit. Ius canonicum diuinam praeprimis authoritatem sequitur, qua deficiente Ecclesiae vniuersalis aut illius certe, qui pastor pastorum a Christo constitutus est, vocem audit: fidelium actiones et officia etiam minutissima quam accuratissime determinat, ac rationem tunc solum in auxilium vocat, quando casus aliquis nulla aperta lege decisus reperitur, sed argumento legis procedendum est iuxta monitum Iuliani in leg. 12. ff. de legibus.

Quamuis Ius canonicum diuinae ac humanae innitaur authoritati, exinde tamen minime inferre volumus, illam morum Philosophiam Iuris sacri candidato minus esse necessarium, cuius contrarium in Iure canonico vel leuiter tincto apparet. Sunt in Iure nostro alii canones, qui Iuris positiui nihil in se continent, sed tantum, quod Iuris naturalis est, exponunt, illudque casibus particularibus applicant, in quorum numero recensemus illos canones, qui de vita et honestate ministrorum ecclesiasticorum agunt, incontinentiam, auaritiam, ambitionem, similiaque vitia a clericis proscribunt, et quam longissime ab iisdem amandant. Alii itidem canones multum de Iure naturali participant, aliquid etiam ex Iure positiuo admixtum habent: v. g. si in clerico non tantum praedicta vitia damnent, sed insuper certam poenam in temeratores harum legum vel ipso facto incurrendam, vel iudicis saltem sententia inferendam decernant. Horum canonum quis sibi perfectam formabit

bit ideam absque Philoſophiae moralis praeſidio? Quae tamen idea Iuriſperito, ne ſe ipſum decipiat, praeprimis neceſſaria eſt. Nam longe dispar ratio intercedit inter canones, qui Ius naturale tantum explicant, et illos, qui Ius poſitiuum humanum afferunt, et iſtos, qui ex vtroque participant. Primi generis canones prorſus immutabiles ſunt ſicut ipſum Ius naturale, nullaque illorum admittitur abrogatio, aut conſuetudo contraria, quae ſemper pro corruptella haberi debet. Circa canones vero, qui Ius poſitiuum humanum proponunt, illa Iuris axiomata procedunt: *Conſuetudine canones abrogantur. Conſuetudo eſt optima legum interpres* etc. Canones mixti, hoc ipſo, quod in Iuris tum naturalis tum humani participium veniant, partim immutari aut omnino abrogari poſſunt, partim vero inuariabiles ac indiſpenſabiles ſunt: ex toto autem tolli nequaquam valebunt; quia ſi non ſtent Iure poſitiuo, ſtabunt certe Iure naturali. De vera ſacrorum canonum idea, quam ſtudioſus canonum ſibi formare debet, pro varietate materiae, quam continent, videndus eſt Van-Eſpen tract. hiſt. canon. cap. I. per totum. Hortamur autem omnes, qui cum fructu in hac palaeſtra verſari volunt, vt illam morum Philoſophiam minime negligant, et ſimul obſecramus, vt veram, non fucatam profiteantur doctrinam. Eſt equidem lex naturalis intime cordibus noſtris impreſſa, quam recta ratio fideliſſime nobis promulgare deberet; aſt vulnus ignorantiae, quo intellectus noſter ſauciatus decumbit, quam plurimum ſemper impediet, ne ratio humana ſibi ſoli relicta in eadem cognoſcenda, ne dicam, penitus exhaurienda absque erroris periculo procedat. Nimium quantum periculoſae ſunt, quas quiuis circa Ius naturae libere ſibi efformare praeſumit, ideae. Propterea neceſſario in ſubſidium adhibenda eſt diuina reuelatio, minimeque negligenda Eccleſiae authoritas ac interpretatio, maxime in hoc, quo viuimus ſtatu gratiae, quo Chriſtus Dominus diuino ſuo magiſterio pariter, ac adiutorio Ius naturae ad dignitatem legis evangelicae ſublimare voluit. Optime hac de re diſſerit author Anonymus corollariorum ex vniuerſo Iure coroll. II. et ſequentibus ex Iure naturae, nec non P. Simpertus Schvvarzhueber in Iure naturae philoſophice expenſo de fontibus Ethicae ſect. II. §. 15.

§. XIV.

Expositum hactenus est, quid sit Ius canonicum, quale illius obiectum, quis finis, et quinam termini. Iam quomodo diuidi debeat, paucis dispiciamus. Tota ratio diuisionis Iuris nostri desumitur vel ex origine, vel ex modo constituendi, vel a negotiis, circa quae occupatur, vel ab authoritate et locis, vbi viget, vel denique ab antiquitate, et collectionum varietate.

§. XV.

Ab origine diuiditur in Ius *diuinum* et *humanum*. Diuinum continetur in vtriusque testamenti scripturis, ex quibus plura praecepta a Pontificibus in decretalium libros relata sunt, et tamquam diuinae legis placita inconcusse custodiuntur. Ius humanum iterum bifarium est, vel *ciuile* vel *ecclesiasticum*. Illud originem suam debet Principibus, quorum leges, si euangelicis, canonicisque institutis conformes reperiuntur, a Iure nostro ambabus excipiuntur vlnis iuxta cap. I. de nou. oper. nunciat. Si in aliquo aduersantur, in animarum tamen periculum non vergunt, suo foro relinquuntur obseruandae, aut si quid exitiosum statuunt, a Iure canonico etiam corriguntur. Ius ecclesiasticum deriuamus vel a statutis conciliorum tam generalium, quam particularium, vel a decretis Pontificum, vel ex dictis sanctorum Patrum, de quibus fusius agetur, vbi de origine et fontibus Iuris nostri sermo occurret.

Gratianus nofter male confundere videtur Ius naturale cum divino, dum diftinct. I. inquit. *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet Iure et moribus. Ius naturale eft, quod in lege et evangelio continetur* etc. Haud equidem negamus, plurima Iuris naturalis praecepta in S. litteris reperiri, omnia tamen in illis contenta ad Ius naturae reducere hactenus aufus eft nemo. Triplicis potiffimum generis praecepta nobis exhibet diuina fcriptura, quorum alia funt moralia, alia ceremonialia, et alia demum ex illis, quae iudicia fpectant. Leges morales, quae in decalogo fere continentur, a Iure naturali haud recedunt, fi circumftantiam diei fabbati exceperis, et ideo in lege tam veteri quam noua femper obligant. Leges vero ceremoniales, quae ritus praecipue in cultu diuino obferuandos determinabant: nec non iudiciales, quae in antiqua lege iudiciorum formam ac poenas malefactorum fanxere, nulla ratione ad Ius iftud immutabile reuocari poterunt; quia haud aliter, ac praecepta moralia, in lege quoque gratiae homines neceffario ligare deberent.

§. XVI.

A modo conftituendi oritur diuifio in Ius *fcriptum*, *traditum*, et *confuetudinarium*. Ius fcriptum omne illud dicimus, quod expreffa legislatoris voluntate introductum, et ab origine ftatim litteris confignatum eft. Traditum pariter expreffam legislatoris voluntatem pro fundamento agnofcit, quamuis in hoc a Iure fcripto differat, quod ab initio de ore ad os tantum propagatum, et fucceffu temporis primum authoritate faepius priuata in tabulas redactum fuerit. Ius confuetudinarium ex diuturnis populi moribus accedente tacito, vel legibus expreffo fuperioris confenfu promanat, nec abs re confuetudo Iuris titulo gloriatur; quia, fi rationabilis et legitimo tempore continuata inuenitur, Iuri fcripto non

modo aequiualet, ſed et illud omnino vincere, et abrogare poteſt, ex cap. fin. de conſuet.

§. XVII.

Negotia hominum in aliqua ſocietate degentium duplicis generis ſunt: alia reſpiciunt bonum et vtilitatem totius ſocietatis communem, alia ſingularibus membrorum quorumdam commodis dedicantur. Priora vocamus negotia publica, poſteriora inter priuata recenſemus. Ius itaque canonicum, quum vtriusque conditionis negotiis modum menſuramque ſtatuat, non incongrue diſpeſci ſolet in *publicum* et *priuatum*. Quatenus publicum eſt, pro fine primario habet vtilitatem totius Reipublicae eccleſiaſticae, ordinat cauſas vniuerſitatis, praeſcribit legitimam viam perueniendi ad dignitates et praelaturas, iurisdictionem Praelatis competentem determinat, rectumque illius vſum ad incrementum vniuerſalis Eccleſiae quam accuratiſſime aſſignat. Ius priuatum directe intendit vtilitatem ſingulorum, qui ſunt de gremio Ecclaeſiae, eorumque negotiis ſaluberrimas praefigit regulas, quarum finis principalis eſt, vt ſuum cuique tribuatur. Huc ſpectant canones omnes, qui in corpore Iuris circa pacta, transactiones, contractus, teſtamenta, et ſimilia quidquam diſponentes iueniuntur. Redundat equidem, non diffitemur, haec etiam priuata vtilitas vltimato in bonum totius corporis; quia, ſi ſingulis membris bene eſt, fieri aliter vix poterit, quin totum optime conſtitutum ſit. Attamen hoc prouenit ex intentione ſolum ſecundaria, et per neceſſariam ſequellam.

Hoc

Hoc Ius publicum rurſus abit in *vniuerſale*, quod totius Reipublicae eccleſiaſticae per totum orbem diſperſae vtilitatem promouet, et *particulare*, quod huius tantum vel alterius nationis, prouinciae legitimis ſub paſtoribus coadunatae bonum commune reſpicit. Vix vllum in orbe regnum erit, vix vlla prouincia, quae non praeter Ius commune vbique obligans ſpeciales enumerare leges valeat, quibus ipſa praeciſe in vtilitatem propriam regatur: id de eccleſiis Germaniae noſtrae ſatis tuto affirmare poſſumus, quum nobis etiam tacentibus, concordata inter romanam ſedem et inclytam nationem erecta loquuntur, quod res eſt. A fuſiore autem particularis Iuris diſcuſſione in praeſenti elucubratione ſtudio abstrahimus, materiam hanc alteri occaſioni reſeruantes, vbi ex inſtituto hac de re tractare licebit. Circa canones, qui tum ſtatum Eccleſiae publicum, tum priuatorum negotia concernunt, paucis adhuc praemonendus eſt Iuris canditatus, videlicet quod iidem non ſeparatim in collectione decretalium legantur, ſed inuicem permixti a compilatore nobis exhibeantur; proinde ex materia, quae in canone forte obueniente pertraetatur, dignoſci debet, an eumdem ad Ius publicum vel priuatum referri oporteat.

§. XVIII.

Ab autthoritate et vſu, quem Ius canonicum vel vbique locorum, vel certis ſolum in prouinciis aut dioeceſibus habet, naſcitur diuiſio in Ius *commune* et *particulare*. Ius commune obligat vniuerſam Eccleſiam, et comprehenditur quoad potiſſimam partem in libris corporis Iuris. Ius particulare eſt, quod viget in vna alteraue natione, prouincia aut dioeceſi tantum. Ad hoc Ius particulare optime reducuntur leges in conciliis nationalibus, prouincialibus nec non dioeceſanis latae. item ſtatuta Epiſcoporum, quorum quiuis Iure diuino poſitus eſt ad regendam Eccleſiam ſibi concreditam,

ſicut

ſicut et conſuetudines, quae iuxta varietatem locorum mire quoque variant.

§. XIX.

Ex tot mutationibus, quas regulae diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantes ab origine ad noſtra vſque tempora ſubierunt, ob varias etiam earumdem regularum collectiones non diuerſo ſolum modo, ſed et tempore factas, Ius canonicum in tres epochas diſtinguitur: prima illarum complectitur *Ius antiquum*, et currit a primordio Eccleſiae vſque ad collectionem Gratiani monachi circa medium ſaeculi XII. florentis. Altera, in qua *Ius nouum* deprehenditur, incipit a praelaudata Gratiani collectione, et exhibet vniuerſum Ius, quod dicitur in corpore Iuris clauſum, *Decretum* nimirum ſeu potius concordiam diſcordantium canonum, *decretales* Gregorii IX. *librum* VI. decretalium, *clementinas*, *extrauagantes* Ioannis XXII. et communes. Quamuis hae extrauagantes proprie adnumerari non poſſint libris clauſis in corpore Iuris; eoquod nulla earum ſingulari reſcripto et approbatione Pontificis munita, multo minus authoritate publica in corpus Iuris vnquam relata fuerit (hinc nomen extrauagantium bullarum conſtanter retinent) tamen, quia ad Ius nouum adhuc ſpectant, et locum hodie ſaltem in corpore Iuris obtinent, ea ex ratione libris in corpore Iuris clauſis ſubiungimus. Omne tempus, quod a praedictis compillationibus effluit, tertiam epocham conſtituit, et *Ius nouiſſimum* continet; Iuris autem nouiſſimi nomine intelligimus canones conciliorum, bullas,

con-

conſtitutiones et decreta ſummorum Pontificum etc. quae a tempore vltimae collectionis vſque nunc emanarunt.

Diuiſionem mox recenſitam in Ius *antiquum*, *nouum*, et *nouiſſimum* haud ex toto recipiunt ſcriptores galli, qui malunt omne Ius diuidere in *antiquum* et *nouum*, prout videre eſt apud Petrum de Marca de concord. ſacerd. et imp. lib. III. cap. VI. Antiquum appellant illud, quod in vſu vtriusque Eccleſiae tum occidentalis tum orientalis per VIII. priora ſaecula vſque ad Iſidorum vulgo Mercatorem dictum continuo fuerat. Nouum Ius inchoant a collectione Iſidori ſaeculo VIII. facta, qui, dum partim dubias, partim omnino ſpurias romanorum Pontificum epiſtolas ſuae collectioni inſeruit, ex quarum vſu tota vix non diſciplina eccleſiaſtica immutata fuit, multo magis ac Gratianus Iuris noui author habendus eſt. Praecipua capita recenter mutati per Iſidorum in Eccleſia Iuris recenſet idem de Marca loc. cit. num. 4. et nos ſuo loco referemus. Nos, quum in effectu parum interſit, relictis Gallorum placitis Ius nouum a Gratiano auſpicamur, tum quia diuiſio haec in ſcholis noſtris iam ciuitate donata eſt; tum quia ad enumerandas collectiones diuerſis temporibus factas magis idonea videtur: tum denique quia a compilatione huius decreti reuera in iure noſtro noua epocha incoepit. Quam primum enim haec concordia diſcordantium canonum lucem aſpexit, illico publice in Academia Bononienſi legum ciuilium inſtar praelegebatur, et, qui iam ad finem ſaeculi XII. auditores ex omni natione ad hanc ſcholam magno numero confluxerant, dicti ſunt Decretiſtae, eorumdemque priuilegiorum participes ſunt facti, quibus gaudebant legiſtae gradibus academicis Baculaureatus, Licentiatus ac Doctoratus inſignes, vnde contigit, vt Decretum non ſummam modo venerationem in ſcholis, ſed et plurimam authoritatem in iudiciis obtinuerit; eoquod Doctores illi eruditionem, quam Bononiae ex interpretatione huius decreti hauſerant, domum reuerſi ac tribunalibus Principum admoti certatim in praxin deducere conarentur. Num talia fata antecedentibus etiam colletionibus vſque ad Gratianum obtigiſſe quis dicere auſit?

CAPVT II.

DE ORIGINE IVRIS CANONICI.

§. XX.

Authorem Iuris canonici illum ipsum agnoscimus, qui fundator est Ecclesiae nostrae Christus Iesus. Eadem enim vtriusque est antiquitas, et intimus nexus. Quam primum Redemptor noster aliquos specialiter ad sui sequellam inuitauerat, exinde numquam cessauit data illis quacumque occasione fidei morumque praecepta instillare. Haec praecepta ad mores informandos paucis istis Christo indissolubiliter adhaerentibus ab initio data fundamentalis instar lapidis in Iure nostro se habent. Antequam vero ad ea in particulari considerandа diuertamus, paucis praemittendus est Ecclesiae ortus, et forma, ac tum primum leges a Christo ipso eidem praescriptae in medium afferendae sunt.

Dum in libris Iuris canonici saepius testimonia legis antiquae proferuntur, et ex illis argumenta ad res, ad personas, et iudicia in nouo testamento constituta deducuntur, mirabitur forte non nemo, quod originem Iuris nostri ad ipsam Iudaeorum Synagogam non referamus, quae pari modo, pro eo saltem tempore vera erat Dei Ecclesia. Enim vero concedimus libentissime, Synagogam Iudaeorum exstitisse ad tempus, et non modicum quidem veram Dei Ecclesiam, eamdemque proprias habuisse leges tum in codicibus scriptis exaratas, tum iugi traditione de ore ad os propagatas, quibus eorum Respublica regeretur, cultus diuinus summa cum decentia et splendore perageretur, mores Iudaeorum informarentur etc. verum hae leges vnacum Synagoga quoad

vim

vim ſuam obligandi vix non omnes exſpirarunt, poſtquam vmbram fugaverat veritas, et ille aduenit, qui nouam ſanguine ſuo acquirere volebat Eccleſiam. Res patebit, vbi ſingulorum praeceptorum indolem penitius inſpexerimus. Leges in ſacris paginis antiqui foederis contentae vel erant dogmata fidei, vel ad mores aut ritus, aut iudicia pertinebant. Dogmata fidei, quae talia olim erant, talia et hodiedum ſunt; quia reuelatio diuina eiusdem ſemper manet authoritatis. Aſt haec ad forum theologicum remittimus. Leges morales, quae potiſſimum decalogo abſoluebantur, inculcabant Ius naturale, hoc autem, quum in lege noua ad dignitatem euangelicam ſublimatum fuerit, haud amplius vigore legis antiquae, ſed aut naturalis aut euangelicae obligabit. Leges ceremoniales aeque ac iudiciales per Chriſti mortem omnino ſublatae ſunt, ita quidem, vt ſi forte ad aliquod tempus poſt Chriſti mortem Legalia hinc inde obſeruata legantur, id non ex neceſſitate aut vi obligandi, quam nullam habebant amplius, prouenit, ſed, ne Synagoga demortua ſine honore debito ſepeliretur, quam rationem aſſignat D. Thom. 1. 2. quaeſt. CIII. art. IV. Leges antiqui teſtamenti, ad quas repetitis vicibus in Iure noſtro prouocatur, ſi ceremoniales aut iudiciales ſunt, omne robur ſuum ex libera receptione ab Eccleſia in lege gratiae facta deriuant. Ex quibus ſatis patere exiſtimo, cur originem Iuris canonici ad ortum Eccleſiae noſtrae potius, quam ad tempora Synagogae Iudaeorum referre velimus. Quanta vero ſit firmitas argumenti a lege veteri ad nouum deducti, vberius exponemus diſſert. II. vbi agemus de ſcriptura ſacra, quae primarium Iuris canonici fontem efficit.

§. XXI.

Eccleſia, in cuius ortum hic inquirimus, ſecundum nominis etymologiam euocationem ad aliquam ſocietatem indigitat; prouenit enim a Graeco vocabulo Εκκαλεω, quod latine redditur *euoco*. Eccleſia itaque coetus vocatorum eſt; quia nemo ad hunc populum ſe adiungit per ſe, et ſuo pro-

prio instinctu, sed omnes, quotquot veniunt, a Dei vocatione praeueniuntur, primumque, quod a Deo sancti recipiunt beneficium, est vocatio. Iuxta hunc conceptum Ecclesia passim a nostratibus Theologis describitur, *quod sit societas seu coetus fidelium interius anima, exterius professione fidei vnitorum, ex ordine imperantium Episcoporum sub vno visibili capite romano Pontifice, et parentium tum Clericorum tum Laicorum constans, et a rebus publicis ciuilibus prorsus independens.*

Haec descriptio Ecclesiae paululum prolixior quoad substantiam ex asse conuenit cum illa, quam inter Gallos Doctores affert Tournelius in praelect. theologicis de Deo vno etc. quaest 4. de Ecclesia dicens *Ecclesia est coetus hominum vnius et eiusdem fidei christianae professione, et eorumdem sacramentorum communione coniunctus sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue romani Pontificis.* Qui Iuri sacro se dare intendit, vtramque hanc, vel, qualemcumque maluerit, Ecclesiae definitionem alte sibi imprimat; plurimum namque interest, vt genuinum Ecclesiae nostrae acquiramus conceptum, ne in ipso statim vestibulo contrariis ventis abrepti, in errores prolabamur turpissimos. Longe aliter ac nos de eadem sentiunt Protestantes, quorum libri hodie absque omni scrupulo promiscue quasi circumferuntur, et eo audacius leguntur, quo minus incauti saepe lectores occultum virus aduertunt, firmiter persuasi, in libris de rebus solum iuridicis ex professo tractantibus nihil Religioni aduersum reperiri. Num fallam ego? num fallantur illi, iudicet aequus rerum arbiter? Boehmerus tom. I. Iuris eccles. protest. dissert. praelim. §. 4. ita mentem suam explicat circa hanc, quam dedimus, Ecclesiae descriptionem. *Haud facio cum Hierarchis romanis, qui Ecclesiam in statum quemdam ciuilem coniecerunt, et Rempublicam, politiamque inde exstruxerunt, quippe quod a primo Ecclesiae conceptu plane abhorret.* Necessaria erat haec Boehmeri resolutio ex principiis, quibus passim inniti cernimus Protestantes, ex quorum sententia abesse debet ab Ecclesia omnis Hierarchia seu principatus sacer.

cer. Nulli in ea imperantes clerici, nulla poteſtas leges ferendi, decidendi cauſas, coercendi delinquentes, Pontificibus, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Praelatis aſſignanda eſt. Eccleſia velit, nolit, in illorum ſyſtemate ſocietas aequalis et quidem ex diuina inſtitutione eſſe cogitur, in quam proinde non ſecus ac in alias ſocietates vel collegia Principibus ſuprema Iurisdictio competit. Hoc praelibaſſe ſufficiat, vt vtriuſque Eccleſiae conceptum aliqualem ſaltem acquirant illi, qui recenter ſtudiis philoſophicis valedicere, et Iurisprudentiae canonicae ſeſe totos applicare geſtiunt.

§. XXII.

Vt originem Eccleſiae iuxta ideam praeced. §. allatam legitime demonſtremus, ante omnia inquirendum eſt, an Chriſtus coetum aliquem eadem fidei promiſſione exterius vnitum conuocauerit? an talem facta conuocatione, huic coetui praeſcripſerit ordinem, vt alii eſſent imperantes, alii vero obedientes? hi vero rurſus ita manerent ſubordinati, vt vnum viſibile caput tamquam centrum ad ſeruandam vnitatem diuinitus conſtitutum tenerentur agnoſcere? an denique hic coetus poteſtati ſolummodo imperantium Paſtorum ſubiectus eſſe debeat? an ſicut ceterae ſocietates in Republica etiam ſubiiciatur imperio Principum ſaecularium, ab eo maxime tempore, vbi diſſeminato vbique terrarum Euangelio ipſi Imperatores, aliique Principes, relicta gentilium Deorum ſuperſtitione, veraeEccleſiae nomen ſuum dederunt. Quas quaeſtiones, ſi ex ſcripturae ſacrae authoritate diſſoluerimus, modica, vel omnino nulla de origine tum Eccleſiae noſtrae tum Iuris eccleſiaſtici remanebit difficultas.

§. XXIII.

§. XXIII.

Spirituale Ecclesiae nostrae aedificium non derepente eum obtinuisse perfectionis gradum, ad quem successu temporis peruenit, sacrae paginae innumeris ferme locis testantur. Similis erat ab initio grano sinapis, quod, dum in terra absconditur, minimum est ex omnibus seminibus: quum vero creuerit, non tantum maius est omnibus oleribus, sed fit arbor adeo procera, vt volucribus vndequaque aduolitantibus securum praebeat nidum. Ita sane Ecclesia nostra paruis incipiens initiis, maximis deinceps augebatur incrementis. Primos ac rudes adhuc lapides suo tempore huic aedificio aptandos iam collegisse videtur illa vox clamantis in deserto Ioannes Baptista, quem velut Angelum bonum ante faciem Messiae praemittendum vaticinatus est Isaias Propheta cap. XI. v. 3.

De hoc Domini Praecursore sacer textus hunc in modum loquitur: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Lucae cap. III. v. 2. Poenitentiam non verbis tantum, sed exemplo maxime inculcabat; totus enim vestitus illius simul et virtus summam nonnisi austeritatem spectantibus obiiciebat: induebatur zona pelicea circa lumbos suos, ac fami mitigandae non alium adhibebat cibum, quam locustas ac mel Siluestre. Nouum hunc vatem tum videndi, tum et audiendi gratia ingens hominum numerus illico conuenerat, tota fere Iudaea, omnis Iordanis regio et Ierosolymitae vniuersi egrediebantur, vt audirent eum. Verum tanta erat oratoris grauitas, orationis efficacia tanta, vt omnes salutari horrore perculsi confitentes peccata sua precibus instantissimis baptismum ab illo expetierint. Memoratu dignissima sunt verba, quibus auspicatus est munus praedicandi Ioannes: *Poenitentiam agite*, inquiebat, *appropinquauit enim regnum Coelorum.* Matth. cap. III. v. 2. Nomine huius *Regni* non obscu-

obſcure indigitauit Eccleſiam nouiter erigendam; quae *ſaepe in ſacro eloquio regnum coelorum praeſentis temporis Eccleſia* dicitur, teſte S. Gregorio M. Homil. in cap. 28. S. Matth. Verum, ne in errorem inducerentur nouiter baptizati, illum ipſum, de quo loquebatur, eſſe, per quem tota ſpritualis aedificii moles conſumari deberet, diſſertis verbis Meſſiam Eccleſiae nouae fundatorem praedicit: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius ego non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto et igni.* Matth. cap. III. v. 11. Marci I. v. 8.

§. XXIV.

Incarnatum Dei verbum, quod ad annum vsque trigeſimum ab hominum ferme conſortio remotum latebat, et in abſcondito *proficiebat ſapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines*, in publicum prodiit, et iuxta vaticinium Praecurſoris manum Eccleſiae nouiter erigendae admouit; Namque ſuſcepto baptiſmate, transactoque quadraginta dierum ieiunio, primas inter curas habuit quosdam ſibi eligere diſcipulos tamquam prima coetus congregandi elementa. Facillimum erat Chriſto tales acquirere, vtpote cuius doctrinae ſublimitas audientes ad ſequellam non inuitauit modo, ſed occulta quadam vi fortiſſime etiam attraxit, ſiquidem miracula, quorum teſtes oculati fuerant diſcipuli, indisſolubili prorſus nexu eosdem diuino ſuo Magiſtro adhaerere perſuadebant.

Primam ad Chriſti diſcipulatum vocationem refert S. Ioannes Euang. cap. I. *Altera autem die iterum ſtabat Ioannes et ex diſcipulis eius duo, et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce! agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, et ſecuti ſunt Ieſum. --- Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant a Ioanne,*

et

et secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: inuenimus Messiam (quod est interpretatum Christus) et deduxit eum ad Iesum. --- In crastinum voluit exire in Gallilaeam, et inuenit Philippum: et dicit ei Iesus: sequere me. --- Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei: quem scripsit Moyses in lege, et Prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? dicit ei Philippus: Veni et vide. Notat Cornelius a Lapid. in cap. IV. S. Matth. v. 18. quod hi nouiter electi nondum perpetuo apud Christum permanserint, sed post aliquod temporis spatium, relicto Iesu, iterum redierint ad piscationem suam; hinc vt vocati, relictis omnibus, inseparabiliter Christo magistro adhaererent, opus erat noua vocatione, quam etiam fecit anno secundo praedicationis suae iuxta seriem recensitam a S. Matth. cap. IV. v. 18. vbi finem simul vocationis a se factae palam ipsis exposuit dicens: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.* Nouellam hanc turbam in Cana Gallilaeae adhibuit testem signorum, quorum ibi initium fecit Iesus, manifestaturus gloriam suam, vt crederent in eum discipuli eius. Ioan. cap. II.

§. XXV.

Numerus discipulorum maximopere auctus fuit anno secundo praedicationis Christi, a quo se verum esse Messiam apertis testimoniis comprobauit. Circuibat tum temporis totam Gallilaeam, docens in Synagogis et praedicans Euangelium regni, sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo, vnde breui abiit opinio eius in totam Syriam, *Et secutae sunt eum turbae multae de Gallilaea, et Decapoli, et de Ierosolymis, et de Iudaea et de trans Iordanem.* Matth. cap. IV.

Multitudo credentium, quam Christus et discipuli eius modico hoc tempore congregauerant, desumi potest ex indignatione Pharisaeorum; qui

qui aegre ferebant, *Quod Ieſus plures faceret diſcipulos et baptizaret quam Ioannes; (quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius!)* Horum inuidiam vt declinaret diuinus Magiſter, Iudaeam relinguere et rurſus in Gallilaeam abire ſtatuit. Ioan. cap. IV. v. 1. et ſeque.

§. XXVI.

Coetus iſte, qui in dies magis, magisque creſcebat, in eadem denique fidei et doctrinae profeſſione ſtabiliendus erat. Primum, quod Chriſtus ſuis auditoribus non iam obſcure, ſed verbis ſat luculentis inſinuauerat, fuit, ut crederent, ipſum verum eſſe Meſſiam, in lege promiſſum, qui abrogata veteri Iudaeorum Synagoga venit in mundum, vt nouam ſanguine ſuo acquireret Eccleſiam, ad quam omnes quidem aequaliter vocabantur, nullus tamen ex Chriſti mandato in eam admittendus erat, niſi qui per ianuam legitime introire vellet, ianuam vero baptiſmum eſſe voluit, quem Chriſti diſcipuli petentibus affatim conferebant.

Multis in locis S. ſcripturae Chriſtus tum verbis tum factis palam oſtendit, ſe verum eſſe Meſſiam, quem tanto iam tempore Iudaei exſpectarunt: apertiſſime autem id fecit in colloquio habito cum muliere illa ſamaritana, a qua potum petiit, fatigatus ex itinere. Haec mulier, poſtquam plura ſatis mira ex ore Prophetae huius, perceperat, ipſa prouocauit ad aduentum Meſſiae, dicens. *Scio, quia Meſſias venit, (qui dicitur Chriſtus) quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Ieſus: ego ſum, qui loquor tecum.* Ioan. IV. v. 25. Eadem plane ratione, qua ſe manifeſtauit mulieri, aliis etiam ex Samaria ſeſe manifeſtum reddidit: venerunt enim Samaritani ad Ieſum, *Et rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies, et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius: et mulieri dicebant: Quia non iam propter tuam loquellam credimus: ipſi enim audiuimus*

et scimus; quia hic est vere saluator mundi. Ioan. cap. cit. De baptismate eiusque necessitate longum sermonem habuit Christus cum Nicodemo, cui ab initio obscurius arcanum istud patefecit: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Ast cum sermonem hunc in alium, quam Christus intendit, sensum detorquere videretur ille Magister in in Israel, clarius, quid vellet, expressit: *Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Ioan. cap. III. v. 3. et sequ. Qui textus vnanimi S. scripturae interpretum consensu baptismum indigitat, per quem recenter nati Ecclesiam a Christo fundatam ingrediuntur.

§. XXVII.

Non in vnitate fidei tantum, sed et in doctrinae moralis conformitate recenter in hunc coetum admissos ambulare volebat Christus: vnde toties verba faciebat ad turbam, non numquam longo satis tempore ex ore diuini Magistri pendentem. In sermone isto partim noua inculcabat morum praecepta, partim antiqua clarius exponebat, vel aliquo modo etiam corrigebat; eoquod plura lex vetus permisisset Iudaeis ob cordis duritiam, quae in lege gratiae vtpote perfectiori necessario erant immutanda. Ante omnia ob oculos ponebat discipulis, qui tum temporis iam Christum tamquam indiuidui comites sequebantur, grauitatem officii, ad quod hic quidem destinati, paulo post vero actu assumendi erant. *Vos*, inquit, *estis sal terrae. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi, vt mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. - - Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Matth. cap. v. a versu 13.

Lon-

Longum catalogum praeceptorum moralium S. Euangelista Matthaeus cap. V. VI. et VII. nobis exhibet, quae omnia Christus in monte sedens collectae ibidem turbae promulgauit. In hac doctrina illud non obiter attendendum, quod plura eiusdem capita opponantur praeceptis morum legis antiquae, in quibus non tanta resplenduit perfectio, quantam in lege gratiae nouus Ecclesiae fundator requirit ab illis, quorum iustitia abundare debet plusquam scribarum et Pharisaeorum. *Audistis*, inquit: *quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca: reus erit gehennae ignis. Audistis, quia dictum est antiquis: non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. --- Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo* etc. Super hac doctrina adeo sublimi, et humanae cupiditati e diametro aduersa admiratae sunt turbae, maxime autem obstupebant super libertate ista, qua diuinus Magister in eadem proponenda vtebatur. *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum, et Pharisaei.*

§. XXVIII.

Ecclesia in eadem fidei professione et morum doctrina hactenus congregata constabat membris quidem plurimis, quorum tamen nullum speciali prae ceteris dignitate, authoritate, aut iurisdictione erat insigne. Christus ipse tamquam caput visibile hunc coetum dirigebat adhuc, et iuxta §. §. praeced. sanctissimis legibus informabat. Quia vero, postquam consumasset omnia, ad Patrem, a quo missus fuit, redire parabat, necessario alios designare debuit, qui vicaria potestate hoc Christi regnum spirituale susciperent gubernandum. In quem finem conuocatis discipulis elegit duodecim

ex ipsis, quibus ab initio plura arcana ad regimen ecclesiasticum oppido necessaria concredidit, quosque etiam post suum in coelos ascensum Rectores nouellae Ecclesiae suae relinquebat, numeris omnibus absolutissimos.

Electionem duodecim Apostolorum cum omnibus circumstantiis non absque mysterio recenset S. Lucas cap. VI. v. 12. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare* (Iesus) *et erat pernoctans in oratione Dei. Et quum dies factus esset, vocauit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominauit) Simonem, quem cognominauit Petrum etc.* Orationis huius per totam noctem protractae caussam assignat Cornelius a Lapide sequentem: rogabat Christus diuinum Patrem, vt postero mane e discipulis duodecim Apostolos designaret, eosque deligeret, qui tanto gradu digni forent. Erat pernoctans in oratione Dei, vt eis orando gratiam et spiritum ingentem impetraret, qui, vt digne apostolatu fungerentur, maximopere necessarius erat. Nemo itaque sibi persuadeat, hos tantum ideo prae ceteris assumtos fuisse, vt Christo firmiori nexu adstricti, testes essent oculati doctrinae et miraculorum eius, minime gentium! cogitabat Saluator hisce columnis totam aedificii ecclesiastici molem superimponere, quae res non dignitatem modo, sed et firmitatem maximam prolixa sane oratione diuinitus impetrandam requirebat in nouiter electis.

§. XXIX.

Quum Apostoli tanta cum sollicitudine electi ad regimen Ecclesiae ex intentione eligentis primaria destinarentur, non oportebat eos infirma esse elementa, sed potestate prorsus singulari indigebant, qua freti munus tum pascendi, tum regendi ipsis iniunctum suo tempore exercerent. Huic indigentiae quam sapientissime prospexit Salutator noster, qui eosdem non rectores modo, sed et dispensatores mysteriorum

rum Dei conſtituit. Quatenus rectoris vices obire debebant, dedit ipſis poteſtatem ampliſſimam ligandi, ſoluendi etc. in quantum vero diſpenſatoris munere fungebantur, fecit illos veros nouae legis Sacerdotes, commiſit ipſis facultatem dimittendi peccata, aut retinendi etiam, ſi ita neceſſarium videretur: iuſſit eos praeterea docere, praedicare, baptizare omnes gentes.

Vtriusque poteſtatis tam *gubernatiuae* quam *miniſterialis* Apoſtolis diuinitus conceſſae adeo clara in S. litteris deprehenduntur veſtigia, vt ad lucem meridianam coecutire videatur, qui haec ignoret. Poteſtas quidem regendi in ligando, et ſoluendo conſiſtens nulla adiecta reſtrictione, fundamentum ſuum habet ex ipſius Chriſti verbis, quibus Matth. cap. XVIII. v. 18. diſcipulos ſuos allocutus eſt ſequentem in modum. *Amen dico vobis, quaecumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, quaecumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelo.* Et ne forte in errorem quis abriperetur, falſo ſibi perſuadens, hanc ligandi, ſoluendique poteſtatem tantum ad forum internum referendam eſſe, prouide eodem in loco recenſetur modus procedendi cum incorrigibili fratre, qui publice argui, et ſi adhuc perſeueret, Eccleſiae denuntiari iubetur, quodſi nec hanc audierit, tum pro ethnico et publicano, id eſt excommunicato ex mandato Saluatoris habendus eſt. Qua vero ratione id Eccleſia eiusque rectores poſſent, niſi pro foro etiam externo ligandi ſoluendique gauderent poteſtate? ne ergo vel minima hac de re ſupereſſet dubitandi ratio, illico ſubiungebatur: *Amen dico vobis etc.* In omni Eccleſia, in qua verus Deo cultus exhibetur, veri quoque Sacerdotes ſint oportet, a quibus ſacrificium ſupremo Numini offeratur: In Iudaeorum quidem Synagoga ſanguis hircorum et taurorum a ſacerdotibus veteris teſtamenti eſt effuſus: in hac vero noua Eccleſia, quam Chriſtus per proprium ſanguinem acquiſiuit, ſacerdotium longe perfectius, et ſacrificium infinities excellentius inſtituit, dum diſcumbentibus in vltima coena diſcipulis panem et vinum in verum corpus et ſanguinem Chriſti conuerſum diſtribuit illis verbis Lucae cap.

XXII.

XXII. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam caenauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Ex hoc passu pulcherrime deducit S. Chrysostomus homil. 3. de prod. Iud., sacrificium, quod ad consummationem saeculi vsque a sacerdotibus nouae legis Deo offerri debet. Sacerdotis, inquit, " ore " verba proferuntur, sed Dei virtute ac gratia proposita consecrantur, " et sicut illa vox, crescite, et multiplicamini, et replete terram, semel " quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem " operante natura; ita et vox ista: *Hoc est corpus meum, et hoc facite,* " semel quidem a Christo dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiae " vsque ad hodiernum diem, et vsque ad Christi aduentum praestat " sacrificio firmitatem. " Apostoli ad offerendum incruentum hoc sacrificium in vltima coena Sacerdotes consecrati post Christi resurrectionem nouam accepere potestatem vere remittendi peccata, teste enim S. Ioan. Euang. cap. XX. v. 19. *Quum sero esset die illo vna sabbathorum, et fores essent clausae, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis - - - dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec quum dixisset. insuflavit, et dixit eis: Accipite spiritum S., quorum remiseritis peccata, remituntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hactenus Apostoli rectores Ecclesiae ac dispensatores mysteriorum Dei a diuino Magistro constituti sunt. Verum paulo ante Christi in coelos ascensum, ne quidquam de potestate tum ad regendum, tum ad ministrandum necessaria deesset, dispensatio quoque verbi Dei iisdem concredita fuit, prout insinuant vltima illa Christi quasi valedicentis verba: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quaecumque mandaui vobis.* Matth. cap. XXVIII. v. 18.

§. XXX.

Quum Christus potestatem hanc adeo excellentem et illimitatam nulla ratione Apostolis dare voluit in destructionem

tionem, ſed in aedificationem magis, et ad incrementum Ecclesiae tanta cum ſollicitudine nouiter plantatae, neceſſario praecauere debuit, ne regnum hoc in fidei vnitate ac doctrinae moralis conformitate a ſe tam firmiter vnitum, ſuo tempore diuideretur, factaque ſemel diuiſione ſua ſponte diſſolueretur; ideo ſapientiſſime vnum ex ipſis elegit, quem ſpeciali poteſtatis praerogatiua inſignem caeteris veluti caput, et vnitatis conſeruandae centrum conſtituit, vt tali capite conſtituto, pro futuris ſaeculis omnis ſchiſmatis tolleretur occaſio. Petrus erat ille, qui ob diuinitus reuelatam fidei profeſſionem, qua Chriſtum Dei viui filium eſſe, palam edixit, regni coeleſtis accepit claues; cui non eodem, quo ceteris, ſed peculiari quodam modo poteſtas ligandi atque ſoluendi delata eſt; quem ſolum denique diuinus Magiſter ob repetitam trina vice amoris conteſtationem ardentiſſimam Paſtoris titulo omnium ouium, quae de ouili Chriſti ſunt, condecorauit, et ipſo hoc facto vere caput ac centrum vniuerſalis Eccleſiae conſtituit.

Haec dignitas capitis Petro ante Chriſti paſſionem promittebatur tantum, poſt glorioſam vero eiusdem reſurrectionem actu quoque collata fuit. Vtrumque ex ſcripturis ſacris manifeſtum eſt. Promiſſionem accepit, quando ad illam interrogationem Matth. cap. XVI. v. 13. propoſitam: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? --- Vos autem quem me eſſe dicitis?* Reliquis omnibus vel tacentibus, vel diuerſorum diuerſos ſenſus referentibus, ipſe ſolus absque mora reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei uiui.* Ob quam inſignem diuinitatis Chriſti confeſſionem ſtatim beatus dictus eſt Simon Bar-Iona. Quare autem beatus? *Quia caro et ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in coelis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedi-*

aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni colorum, et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solueris super terram, erit solutum et in coelis. Vere ergo beatus Simon Bar-Iona censendus est, qui tam sublime praemium suo tempore certissime dandum sperare iussus fuit; neque opus erat, vt actu concederetur; quamdiu enim Christus in terris degebat, ipse caput visibile Ecclesiae a se erectae esse voluit, abiturus autem ex hoc mundo, tum vero vices suas alteri consignauit, ipso nihilominus perseuerante esse *fundamentum* illud, quod *aliud nemo potest ponere praeter id*, *quod positum est*, *quod est Christus Iesus.* I. ad Corinth. cap. III. v. 17. Nec putes Petrum sua spe excidisse, dum eodem in loco, vbi paulo ante Beatus dicebatur, postmodum Satana appellatur; his enim ibidem verbis in Petrum passionem, quantum quidem potuit impedire volentem inuectus est Christus: *Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.* Plures sunt Ss. Patrum circa hanc difficultatem sententiae, quas legere est apud Cornelium a lapide ad hunc textum. Prima, quae est S. Hilarii, refert illa tantum verba ad Petrum: *Vade post me.* Subsequentia vero: *Satana scandalum factus es mihi*, non amplius de Petro, sed de diabolo, qui haec Petro suggesserat, intelligit. Verba S. Hilarii sequentia sunt: " Sciens enim " Dominus diabolicae artis instinctum, Petro ait: *Vade retro post me*, " id est, vt exemplum suae passionis sequatur. In eum vero, per " quem opinio haec suggerebatur, conuersus adiecit: Satana scandalum, " es mihi: non enim conuenit existimare, Petro Satanae nomen et of- " fensionem scandali deputari post indulta illa beatitudinis et potestatis " tanta praeconia. " Alia mens est S. Hieronimo, qui contendit, Petrum vocari Satanam seu Christi aduersarium pro praesenti, Petram vero constitui pro futuro tempore, scilicet post mortem et resurrectionem Christi. Poterat ergo Petrus homo adhuc fragilis in his circumstantiis sapere, quae sunt hominum, qui, posteaquam Saluator pro eiusdem firmitate efficacem orationem fecerat, ea semper sapiebat, quae sunt Dei, quin exinde factae promissionis incurreret discrimen. Diuersam aliquo modo horum verborum expositionem habet S. Augustinus sermon. 13. de verbis Dom. secund. Matth. quocum sentit et Theophylactus. Verum quid-

quidquid ſit circa varias quoad modum tantum huius textus expoſitiones, contrarium ſane Chriſtus ipſe docuit, dum, quod ante paſſionem Petro promittere dignatus eſt, poſt reſurrectionem ſuam quam fideliſſime executioni mandauit. Ioan. cap. XXI. vltimam operi huic admouit manum: Petrumque facta amoris conteſtatione tenerrima ſimul et trina vice repetita Paſtorem omnium conſtituit dicendo: *Paſce agnos meos: Paſce oues meas.* Agnorum et ouium appellatione omnes intelliguntur, quicumque a Chriſto ad hunc coetum vocati ſunt: " De toto enim " mundo vnus Petrus eligitur, vt vniuerſarum gentium vocationi et " omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiae Patribus praeponatur: vt " quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores; " omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit et Chriſtus. " Inquit S. Leo in ſerm. de aſſumtione ſua ad Pontificatum.

§. XXXI.

Apoſtoli igitur diuinitus Rectores conſtituti ſunt, et Petrus deſignatus eſt Paſtor totius ouilis Chriſti, caput Eccleſiae, et centrum vnitatis conſeruandae, §. §. XXIX. et XXX. Ex quo illud deducimus, quod huic, quem vniuerſis praepoſuit, etiam ceteri, licet rectores ſint, neceſſario debeant eſſe ſubordinati: fruſtra enim vnus reliquis praelatus eſſet, fruſtra vni imponeretur onus, vt fidei morumque conſeruaret vnitatem, niſi et vnius oues omnes tenerentur audire vocem, ac monita ſequi. Haec tamen ſubordinatio nulla ratione dominatum ſapit talem, vt ſummus ille Paſtor omnia pro ſuo quaſi lubitu agat, ſed ſalus Eccleſiae quid exigat, reſpiciendum eſt, cui promouendo et alii Apoſtoli deſtinati ſunt, hoc ipſo, quod munus regendi ipſorum quoque humeris a fundatore Chriſto iniunctum ſit.

§. XXXII.

Patet ex his, qualem voluerit regiminis formam prouidentissimus fundator in sua, quam nouiter erexit, Ecclesia, suauem nimirum, et in recta subordinatione inferiorum pastorum erga pastorem summum consistentem, nullo modo autem monarchicam; ideo enim non omnem potestatem in vnum transtulit, sed et ceteros in eiusdem potestatis vocauit participium. Ille ipse, qui Petro dixit: *Quaecumque ligaueris* etc. dixit et Apostolis: *Quaecumque alligaueritis etc.* *Primatus* in singulari tantum *Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, et cathedra vna monstretur*, vt apposite hanc in rem disserit S. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiae.

Regimen monarchicum quam longissime proscripsisse videtur Christus ab Ecclesia sua eo potissimum ex capite, quod omnem dominatum a suis discipulis voluerit esse alienum, in quem tamen Monarchia facillime nonnumquam deflectere potest. S. Lucas cap. XXII. v. 24. ad confirmandam hanc sententiam oportune narrat, quod contentio fuerit orta inter discipulos, *Quis eorum videretur esse maior?* hanc contentionem vt in ortu suo extinqueret Saluator, seueris admodum verbis contendentes correxit dicens: *Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator.* Quid aliud haec indicant, quam quod regimen Ecclesiae charitatiuum, suaue, minime vero excessiuum aliquem redolens dominatum, esse debeat. Erronea nihilominus est opinio eorum, qui in hoc textu argumentum fortissimum se inuenisse autumant ad stabiliendum systema societatis cuiusdam aequalis, quam Christus fundando nouam Ecclesiam et intendisset, et hoc in loco dissertis quoque verbis praecepisset; Quia vbi nullus maior aut minor esse permittitur, necessario omnes inter se aequales reputantur, nulli prae altero potestas imperandi, puniendi etc. adscribi potest. Enim vero qui ita sentiunt, ex ipso con-

contextu ſermonis confunduntur, ac erroris palam accuſantur. Pergit Chriſtus cit. cap. v. 27. *Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Chriſtus ex propria confeſſione non recumbit, ſed in medio diſcipulorum eſt, *ſicut qui miniſtrat:* an ex hoc aequalitatem Chriſti cum diſcipulis ſuis inferemus? an hac de cauſa Chriſtum nullam habuiſſe poteſtatem imperandi, leges ferendi etc. quis aſſeuerare auſit. Abſit hoc! aliud de Chriſto vaticinium nobis inculcant ſacrae paginae Iſaiae cap. XXXIII. v. 22. *Dominus enim iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter: ipſe ſaluabit nos.* Quodſi hoc de Chriſto, cui data fuit omnis poteſtas in coelo et in terra, affirmare nemo praeſumat, idem iudicium de Apoſtolis habeamus neceſſe eſt; quia et hi cum ſimili poteſtatis praerogatiua miſſi ſunt a Chriſto, ſicut ipſe miſſus fuit a Diuino Patre. Profecto ſi verba dicti textus accurratius ad trutinam vocemus, apparet, nulla ratione omnem in iis proſcribi maioritatem, ſed ſuperbam tantum praelationem: non enim dictum fuit: Qui maior eſt in vobis fiat minor, ſed fiat *ſicut* minor etc. humilitatem volebat Chriſtus commendare rectoribus, minime vero regendi denegare poteſtatem.

§. XXXIII.

Haec iam eſt Eccleſia pulchre vt caſtrorum acies ordinata, hic ille coetus fidelium, cui congregando Chriſtus ipſe omnem impendit operam, quem et congregatum ſanctiſſimis legibus informauit, et in eadem fidei ac doctrinae moralis vnitate ſtabiliuit, ac ſtabilitum denique ſub ſuaui legitimorum paſtorum regimine ad conſummationem ſaeculi vſque durare fecit; hunc certe et non alium habuerunt ſenſum vltima Chriſti ad Patrem coeleſtem iamiam abeuntis verba, quibus Apoſtolos ſuos conſolari dignatus eſt: *Ecce,* inquit,

ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem saeculi. Matth cap. XXVIII. vers. vlt.

§. XXXIV.

Si vero Ecclesia supra firmam adeo petram fundata sit, vt nullo aeuo interire valeat, si ex effato Christi specialem semper Dei assistentiam sibi promittere possint ii, qui diuinitus positi sunt ad eamdem regendam: consequens est, vt illam ipsam formam subsequentibus quoque saeculis retineat, quam in ortu suo a Saluatore accepit, vt iidem atque legitimi eorum successores ad clauum sedeant, quibus ab initio potestas ligandi, atque soluendi diuinitus commissa fuit.

Stante hac legitima sequela, necessario corruere debet fundamentum illorum, qui Ecclesiam nostram non veluti Rempublicam separatam agnoscunt, sed partem tantum Reipublicae profanae volunt. Paradoxa sententia! Ecclesiae Author tantum impendisset curam, vt aptos post discessum suum rectores, ac necessaria potestate omni ex parte instructos relinqueret, nihil autem minus ex illorum sensu cogitasset, quam ut regnum quoddam speciale fundaret, cuius curam illis committeret, quos in terris, adhuc degens singulari vocatione primum ad sequelam inuitauit, postmodum vero munus etiam ligandi, soluendi, et hoc ipso potestatem regendi impertiuit. Nos longe maiori ratione suffulti contrarium exinde inferimus: Christus hunc coetum multo labore collegit, collectum legibus propriis firmauit, firmatum sub regimine legitimorum pastorum perpetuum fecit, ac nullibi tamquam partem Reipublicae profanae declarauit: igitur ab origine sua se solo stetit ac vel inde vera est Respublica, et quidem ab omni alia distincta, atque separata. Ast Christus ipse contra tale regnum excepisse videtur apud S. Ioan. cap. XVIII. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Verum nihil ex hoc textu systemati nostro aduersum elici potest: eodem tempore et apud eumdem Ioannem Christus Pilato interroganti: *Ergo Rex es tu?* respondit:

Tu

Tu dicis, quia Rex ſum ego. Qualis autem Rex, ſi omne reſpueret regnum? nolebat itaque Chriſtus habere regnum mundanum, ſed ſpirituale et ad finem longe ſublimiorem ordinatum, hoc quamuis eſſet *in mundo*, et *hic*, minime tamen *de mundo*, et *hinc* erat. Prioris ipſe fundator et Rector erat, poſterius nullibi ambiebat, ſed Imperatoribus vtut gentilibus intactum reliquit. Schilterus inſpecta melius origine huius aedificii eccleſiaſtici, veritati quidem aliqua ex parte teſtimonium affert, aſt ex parte altera turpem iterum mox in errorem labitur; verba ipſius ex lib. I. Inſtit. Iur. canon. tit. I. §. 7. deſumta ſunt ſequentia: " Atque ita per ſe poteſt exiſtere Ec- " cleſia et exſtitit per priora tria ſaecula: et quoniam a ſumma Reipu- " blicae poteſtate ante Conſtantinum M. aut oppreſſa, aut fugata, aut " neglecta ſaltem, ideo et ſuo regimine polyarchico interim vſa, et " propriis canonibus atque ſtatutis, donec per Conſtantinum M. Rei- " publicae vnita, eamdem induit formam, ſummaeque Reipublicae po- " teſtati fuit ſubiecta, quatenus vero Reipublicae pars eſt, non qua- " tenus Eccleſia. " Plauſibilis haec foret ſententia, ſi vel leuiſſimo niteretur ſacrarum ſcripturarum fundamento, quae, quum contrarium omnino doceant, minime in ſuum pertrahere ſenſum nos poterit. Petrus, ſupra quem aedificauit Chriſtus Eccleſiam ſuam, non ad aliquod tantum tempus, ſed pro ſemper lapis illius fabricae fundamentalis poſitus fuit; non enim dixit coeleſtis Architectus: *Tu es Petrus, ſuper hanc petram* interim *aedificabo Eccleſiam meam.* Neque Apoſtolis regimen Eccleſiae ad tempora ſolum Conſtantini concreditum eſt, ſed illimitate vſque ad conſummationem ſaeculi: ergo fundamentum illud ſemel poſitum ſemper manebit, ipſumque aedificium, ſicut coeptum eſt, et conſummatum, eamdem omni tempore retinebit faciem. At haec vnio Eccleſiae cum Republica profana, quam verba Chriſti nullibi inſinuant, forte deriuanda eſt ex natura et indole ipſius Eccleſiae, quae neceſſario exigit, vt ſit pars Reipublicae? verum quis ſanae mentis hoc affirmarit? ſtetit illa per tria ſaecula Reipublicae non tantum non vnita, ſed ab eadem, vt aduerſarii etiam fatentur, oppreſſa, fugata, aut neglecta, immo ſi portae inferi contra eam praeualere vnquam potuiſſent, radicitus certe exciſa fuiſſet a Reipublicae profanae moderatoribus. Quod ſi hoc ita per tria ſaecula ſalua natura et indole Eccleſiae fieri potuit, cur

non

non et vlterius ita perseuerasse asseramus? an natura et indoles Ecclesiae sub Constantino mutata fuit? an tunc ex authoritate hominis esse desiuit, quod ex voluntate conditoris esse debuit? opinio Schilteri, quae in scripturis S. fundamentum nullum habet, nec ex natura et indole Ecclesiae firmari potest, omnino reprobatur ex historia. Refertur haec metamorphosis ad tempus Constantini, Imp. piissimi, sub quo mirum in modum creuit authoritas pastorum, quorum potestas antea in occulto tantum sese explicabat, sub Constantino autem palam prorumpere ausa est: congregabatur hoc saeculo conuentus vniuersalis Episcoporum Niceae in Bythinia, qui sub legitimo praesidio romani Antistitis per suos legatos authoritatiue deciderunt controuersias ad Rempublicam ecclesiasticam spectantes, illoque tempore circa varia tum fidei tum morum capita subortas. Verum reponunt: Etiam Constantinus huic conuentui intererat.: Quid inde? an partes iudicis ibidem sibi arrogauit? An illa occasione fundamentum iuris Principum in sacra posuit? Simile quid colligi nequaquam potest ex integra serie huius Concilii, quam refert Eusebius caesariensis in vita Constant. cap. 10. Ingressum Constantini Imp. ad Consilium ita describit: " cum autem cun- " cti data tessera, qua Imperatoris significabatur ingressus, surrexis- " sent, tum et ipse medius quasi Angelus quidam coelestis, splendidam " purpuram indutus, ac veluti lucis splendore refulgens - - - introibat. " Haec quidem circa corpus visebantur, animus vero timore Dei ac Re- " ligione perspicue erat ornatus. Significabant hoc etiam oculi submis- " si, rubor in vultu, decens ingredientis motus etc. postquam autem " ad ordinum primordia venit, constitit primum, positaque modica " quadam sede ex auri materia facta, non sedit, priusquam ab Epi- " pis annueretur. Durante concilio audiebat Imperator clementer om- " nes, et constanti mora proposita percipiebat: ac partim illis, quae " vtrinque dicebantur, succurrens, placide eos conciliabat, qui conten- " tiose instabant, partim ad vnumquemque mansuete locutus, idque " graeca voce; suauis admodum erat, et iucundus, aliisque persuadebat, " alios verbis flectebat, alios bene differentes laudabat, ac cunctos ad con- " sensionem adducebat, donec eos in omnibus, de quibus erat controuer- " sia, vnanimes et consentientes redderet, ita, vt fides consona obtineret, " et idem salutaris festi tempus cuncti profiterentur. " Hucusque Euse-

bius

bius cit. loc. Quis iam pensatis omnibus ex gestis Constantini euincet, hunc piissimum Imperatorem in Concilio nicaeno sibi vel in minimo arrogasse partes iudicis, qui Episcopos ibi congregatos non authoritate, sed suaui tantum adhortatione ad vnanimem consensum permouit, qui tanta reuerentia hos praesules prosecutus est, vt nec sedere prius, quam sedendi licentiam dedissent Episcopi, vellet. Profecto si post Constantini conuersionem tanta repente in vniuersa Ecclesia facta fuisset innouatio, si Pontifex et Episcopi iurisdictione sua, qua per tria saecula gauisi sunt, fuissent exuti, si destructa omni Hierarchia ecclesiastica coetus iste Reipublicae profanae vnitus in partem illius transiuisset, non potuisset haec tam repentina mutatio non graues motus in populo pastoribus suis, si unquam, tunc temporis certe deuotissimo excitare. Ast nullibi apud Historicos vel iota de tanta mutatione aut de insecuta exinde populi commotione est legere: immo potius omnes testantur, hoc aureum fuisse saeculum illud, in quo Ecclesia non amplius in cryptis et cauernis latere debuit, sed tota formosa atque pacifica in publicum prodire permissa est; quia in suo iam fouebat gremio Imperatorem et Advocatum, qui ad bonum Ecclesiae qualibet occasione oblata promouendum vnice erat intentus.

§. XXXV.

Ecclesiam, quam Christus Rempublicam esse voluit ab omni alia prorsus separatam, necessario saluberrimis quoque legibus instruere debuit, vt omnia membra haberent stabilem normam actionum suarum directiuam: experientia namque constat, quod nulla Respublica diu incolumis stare valeat absque legum repagulis, sine quibus certa inter ipsa membra confusio, et ex hac confusione necessarius totius Reipublicae interitus subsequitur.

Illud effatum Taciti de moribus Germanorum cap. XIX. " quod plus " valeant apud Germanos boni mores, quam apud exteros saluberrimae le-

" ges,

" ges, " nequaquam in istam partem accipiendum est, quasi res germanae notabili satis tempore sine omni lege stetissent. Habebant illi dubio procul praeter bonos mores communia etiam placita, quae veram in illo statu efficiebant legem: nam communis Reipublicae sponsio lex audit L. 1. ff. de legibus. Si apud Germanos feminas aeque ac masculos litterrarum ignaros dixeris, legum exinde defectum nondum plene probasti, nisi simul admittas, leges sine scriptura subsistere non posse. Non solis moribus, inquit Strykius in discurs. praelim. ad vsum moder. Pandect. sed et communibus placitis stetit quondam res germana.

§. XXXVI.

Huic confusioni simul, et interitus periculo sapientissimus fundator ac primarius Rector Ecclesiae nouiter erectae maxima cum sollicitudine praecauere studuit, dum fidelibus suis in hunc coetum coadunandis duplicis potissimum generis praecepta reliquit, alia pure *diuina*, nempe de sacramentis; alia vero *moralia*, quibus rectum gratiae vsum docemur. Haec praecepta vel in sacris litteris continentur, vel continua Traditione ad nostram aetatem fuere propagata et conseruata; siquidem non omnia, quae fecit Iesus, scripta sunt, ne litterarum cumulus in infinitum excresceret teste *S.* Ioanne cap. XXI. v. vlt. Ex his praeceptis praesertim moralibus iam originem iuris nostri deriuamus, cuius incunabula tum temporis quidem adhuc satis angusta erant, ast post Christi in coelos ascensum noua mox incrementa per leges ab Apostolis latas acceperunt.

Rationem, cur praecepta diuina et moralia Christus ipse dederit, Doctor angelicus 1. 2. Quaest. CVIII. art. 2. sequentem in modum profert:

fert: "cum gratiam ex nobis consequi non possimus, sed per Christum solum, ideo sacramenta, per quae gratiam consequimur, ipse Dominus instituit per se ipsum, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Ordinem ministrorum nouae legis instituendo Apostolos, et septuaginta discipulos, et Poenitentiam, et Matrimonium indiuisibile, Confirmationem etiam promisit per spiritus sancti missionem. Ex eius quoque institutione Apostoli leguntur oleo infirmos vngendo sanasse Marci cap. VI. de praeceptis moralibus ita pergit: Rectus gratiae vsus est per opera charitatis, quae quidem secundum quod sunt de necessitate virtutis, pertinent ad praecepta moralia, quae etiam in lege veteri dabantur. Lex igitur noua nulla alia exteriora opera determinare debuit praecipiendo: vel prohibendo, nisi sacramenta et moralia praecepta, quae de se pertinent ad rationem virtutis: puta non esse occidendum, non esse furandum, et alia huiusmodi.

§. XXXVII.

Leges ceremoniales, quae cultum diuinum respiciunt, aut iudiciales ad bonum politicum et maxime ad pacem externam inter membra Reipublicae christianae conseruandam necessarias, Christum ipsum tulisse, nullibi legitur, sed illorum magis arbitrio determinandas reliquit, quibus ouilis sui curam commisit.

Non omnia Christum ipsum determinasse, aut singulatim suis Apostolis exposuisse, quae regimen ecclesiasticum totumque ordinem hierarchicum concernebant, ex testimonio ipsius Salvatoris Ioan. cap. XVI v. 12. manifestius est, quam vt vlteriore indigeat probatione: *Adhuc multa*, inquit ibidem, *habeo vobis dicere*, *sed non potestis portare modo*, *quum autem venerit ille spiritus veritatis*, *docebit vos omnem veritatem*. Erant illo tempore Apostoli partim adhuc inbecilles, partim assueti adhuc carnalibus Iudaeorum ritibus, partim vero ingenti tristita absorpti ob instantem iamiam Christi discessum ex hoc mundo,

quem non obſcure iisdem ſignificauit cit. cap. v. 5. *Nunc vado ad eum, qui miſit me.* Haec omnia ſat graui impedimento exſtitere, ne arcana ex ore diuini Magiſtri vel amplius haurirent, vel hauſta altius imbiberent. Exſpectandus proin erat aduentus illius ſpiritus veritatis, qui imbecilles confortaret, rudibus omnia neceſſaria ſuggereret, et regere Eccleſiam Dei edoceret.

§. XXXVIII.

Poſt aduentum ſpiritus Paracliti firmiſſimarum inſtar columnarum Apoſtoli facti ſunt, quae aedificium hoc ſpirituale non ſuſtentarent modo, ſed in omnem quoque terrarum orbem propagarent. Praecipuum abhinc illorum officium erat, docere, baptizare, nouas Eccleſias fundare, erronee ſentientes proſcribere, aut ſi neceſſitatis expoſceret ratio, neo;- conuerſis nouas etiam praeſcribere leges, quibus repugnare iam nemini fas eſſet: quum generatim dictum fuit Lucae cap. X. v. 16. *Qui vos audit, me audit; et qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.*

Qantum incrementum poſt ſpiritus S. aduentum Eccleſiae acceſſerit, ex eo colligi poteſt, quod ſolus Petrus bina habita praedicatione multa hominum millia huic coetui per baptiſmum aggregari fecerit. Act. cap. I. tria circiter millia recenſentur, qui receperunt ſermonem eius, et baptizati ſunt. Actorum cap. II. numerus credentium ad quinque omnino millia aſcendit, longe maior facta eſt fidelium multitudo, poſtquam Petro Actor. cap. X. reuelatum fuit, non ſolis Iudaeis, ſed et gentilibus Euangelium eſſe praedicandum. Apoſtoli tunc non vni amplius alligabantur loco, ſed in vniuerſum terrarum orbem exiuit ſonus eorum, et ad quemcumque forte locum deuenerant, praedicationi ac miniſterio verbi Dei inceſſanter inſtiterunt, nouas Eccleſias erexerunt,

xerunt, erectis pastores suos legitimos assignarunt, quorum dein vigilantia omne detrimentum a Christi grege auerteretur. Hunc in finem S. Paulus Titum Cretae reliquit Episcopum, vt corrigeret, quae adhuc deessent, et constitueret alios per ciuitates Presbyteros, sicut ipse constitutus fuerat epist. ad Tit. cap. I. v. 5. Huc seria illa monita 1. Petri cap. V. v. 2. nouiter electis pastoribus a summo Pastore et primo Christi in terris Vicario tradita collimabant: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei providentes non coacte sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et quum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* Qui pertinacius falsam doctrinam defendere conabantur, eos Apostoli publice arguebant ac simul confundebant. S. Paulus in Synagoga praedicans acriter perstringebat Iudaeos Actor. cap. IX. Hierosolimis cum Hellenistis disputans idem Doctor gentium adeo fortiter sese iisdem opposuit, vt quomodo hunc inuictissimum pugilem e medio tollerent, consilium inierint. Act. cap. cit. Simon Petrus zelo apostolico accensus errantem Simonem Magum diris omnibus deuouit; eoquod oblata pecunia donum illud singulare ab Apostolis emere voluerit, vt omnis, cuicumque et ipse imposuisset manus, spiritum sanctum acciperet. Ob hanc impietatem non immerito hanc ex ore supremi Pastoris audire debuit sententiam: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Act. cap. VIII. v. 20.

§. XXXIX.

Potestate leges ferendi, quam Christus Apostolis tamquam rectoribus Ecclesiae nouiter erectae largitus est, variis modis vsi fuere; modo singulis a se fundatis coetibus tutissimas praescripserunt viuendi regulas, modo coadunatis suffragiis deciderunt, quid omnibus fidelibus per varias Ecclesias dispersis factu opus foret.

Leges ab Apostolis tamquam Ecclesiarum particularium fundatoribus aut rectoribus latas videre est tum in actibus Apostolorum, tum in epistolis ab iisdem, maxime a S. Paulo ad diuersas Ecclesias, et earumdem antistites inscriptis. Ne vero quis, Apostolos nudos tantum exstitisse praeceptorum Christi praecones, propria autem potestate nihil noui statuisse, crederet, idem S. Paulus accurate inter praecepta a Christo tradita, ac inter ea distinguit, quae ipse, non Christus pro re nata fidelibus custodienda praecepit. Exemplum vel vnicum ex epist. I. ad Corinth. cap. VII. v. 10. desumtum adduxisse sufficiat. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere* etc. *nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Si gravior quidam tumultus inter fideles oriretur, integer statim Apostolorum conuentus indicebatur, vt vnanimi eorum consilio tempestive adhuc malo, ne vlterius serperet, efficax medicina adhiberi valeret. Actorum cap. VI. *Factum est murmur Graecorum aduersus Hebraeos, eoquod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis etc.* Hoc in conuentu communi calculo septem viros plenos fide et spiritu sancto elegerunt, et ante conspectum Apostolorum statuerunt: tum orantes imposuerunt eis manus, vnaque simul toti controuersiae finem fecerunt. Longe vehementius illa de legalium obseruatione, de qua mentio occurrit Actor. cap. XV. controuersia exarsit; quidam enim illo tempore descendentes de Iudaea docebant fratres: *Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari.* Haec doctrina plane noua tantam excitauit seditionem, vt ad praecauendum maiorem tumultum Paulus et Barnabas cum quibusdam aliis inter se conuenerint ascendere ad Apostolos et Presbyteros in Ierusalem super hac questione. Coacto Hierosolimis conuentu, auditisque tum singulorum, tum maxime Apostolorum principis, qui primus omnium surgens, suam dixit sententiam, rationibus tamdem communi Apostolorum et Seniorum nomine celebratissimum istud decretum conditum fuit: *Visum est Spiritui S. et nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam haec necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine,*

ne, et ſuffocato et fornicatione; a quibus cuſtodientes vos bene agetis. Valete. Huius decreti tenorem per ſpecialiter electos ad id munus viros miſerunt Antiochiam, tum vt legis inſtar obſeruaretur, tum vt eo facilius omnis deinceps diſceptandi cauſa radicitus exirparetur.

§. XL.

Per leges ab Apoſtolis latas magnum Iuri canonico incrementum acceſſit: Antea leges, praeſertim morales tamquam ſibi proprias vendicare poterat; ab aeuo autem Apoſtolorum ingentem quoque cumulum earum legum accepit, quibus ritus ad cultum diuinum ſpectantes, nec non ceremoniae in adminiſtratione ſacramentorum adhibendae determinarentur. Immo nec leges iudiciales, quae debitum in regimine eccleſiaſtico ordinem ac formam praeſcribunt, ab aetate Apoſtolorum omnino remotae cenſeri debent, quum ex communi doctrina in lege noua aeque ac in veteri triplicis generis praecpta, moralia ſcilicet, ceremonialia ac iudicialia inueniantur.

Quamuis leges tam a Chriſto, quam ab Apoſtolis conditae in libris canonicis reperiantur, non tamen vna eademque omnium ratio eſt. Leges diuinae, quum authorem habeant prouidentiſſimum, nulli ſubiacent mutationi, nullam admittunt diſpenſationem, multo minus abrogationem omnimodam. At vero leges, quas Apoſtoli pro poteſtate ſibi diuinitus tradita ſanxere, vel hoc ſolo, quod humanae ſint, pro temporum varietate et ipſas quoque ſaepius variari neceſſum eſt. Exemplo ſit lex illa communi Apoſtolorum ſuffragio lata, qua chriſtiani Antiochiae commorantes a ſanguine et ſuffocato iubebantur abſtinere. Haec lex, licet per plura ſaecula multis in Ecceſiis tenaciter retenta, et ſaepius in Conciliis nouiter ſtabilita fuerit, prout teſtatur can. 67. Synod. Trull. can. 20. Synd. Aurelianenſ. II. can. 64.

Conc.

Conc. VVormat. etc. hodie tamen haud amplius ligat. Ex quo quidem mutabilitatem legum apostolicarum manifeste conspicimus. Sicut autem non omnia, quae Christus fecit et docuit, in sacris litteris scripta leguntnr, ita quoque multa Apostolis debemus, quae non scripturis diuinis, sed illibata traditione ad nos peruenerunt: huc spectat celebratio quorumdam festorum Natiuitatis, Epiphaniae, Paschatis, et Ascensionis Domini, et Pentecostes, sanctificatio diei Dominicae, Ieiunium quadragesimale, Communio sacramentalis sub vna specie etc. Parem reuerentiam Ius canonicum exhibet legibus Apostolorum, siue litteris exaratae sint, siue constanti traditione propagatae legitime innotescant.

CAPVT III.

DE MAXIMIS INCREMENTIS IVRIS CANONICI POST MORTEM APOSTOLORVM.

§. XLI.

Arcti limites Iuris canonici tempore Christi et Apostolorum magis fuere dilatati, postquam primarii illi Rectores a Christo oretenus denominati ex hac vita discesserunt, aliisque prouinciam regendi Ecclesias vel vniuersalem, vel particulares eo tempore iam fundatas reliquerunt. Plurimae controuersiae illis saeculis subortae nouas in dies exigebant leges, quibus sana doctrina vel conseruaretur, vel noua disciplinae capita pro necessitate ac circumstantiarum varietate conderentur. Omnibus his ad amussim procurandis intenti erant illi,

illi, quos aeque ac Apoſtolos ſpiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.

Nemo ſibi perſuadeat, poteſtatem ligandi et ſoluendi adeo fuiſſe Apoſtolis propriam, vt iis pro conditione humanae naturae e viuis ſublatis haec quoque poteſtas cum ipſis extincta ſit. Aliud nos docet Author Eccleſiae, qui hoc ſuum ſpirituale aedificium poſuit ſuper firmam petram, contra quam nullo vmquam tempore portae inferi eſſent praeualiturae. Ille ipſe aſſiſtentiam ſuam vſque ad conſummationem ſaeculi promiſit. Et his quidem ſatis indicauit, Eccleſiam, quam nouiter erexit, non ad modicum tantum tempus, quo vixiſſent Apoſtoli, ſed ad finem mundi debere perdurare. Quodſi vero ex mandato Chriſti perpetua eſſe debeat Eccleſia, in praecedentium rectorum locum alii ex aliis eadem poteſtatis prarogatiua inſignes ſuccedant, neceſſe eſt; ſecus enim tota compages ſine duce, ſine rectore breui iterum diſſolueretur, et portae inferi contra Eccleſiam facillime praeualerent. S. Paulus Epiſcopos, quos Apoſtoli variis Eccleſiis praefecerant, veros agnouit Rectores illarum Eccleſiarum, quod luculenter confirmant ipſius verba ad natu maiores ſeu Epiſcopos directa, Act. cap. XX. v. 28. Teſte ſiquidem S. Irenaeo lib. III. cap. XIV. plurium ciuitatum prouinciae epheſinae Epiſcopos Miletum euocauit, vocatosque hunc in modum allocutus eſt: *Attendite vobis et vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et ne quis crederet, Apoſtolos tantum conſtituere potuiſſe Epiſcopos, mandat idem gentium Apoſtolus Tito, quem Cretenſium Epiſcopum deſignauerat, vt et ipſe alios per ciuitates conſtitueret Epiſcopos: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, vt ea, quae deſunt, corrigas, et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut et ego diſpoſui tibi.* epiſt. ad Titum cap. I. v. 5. Quod appellatione Presbyteri (vocabulum hoc olim commune fuit et Epiſcopis et ſimplicibus Presbyteris) hic intelligantur veri nominis Epiſcopi, ex toto huius capitis contextu colligere eſt, in quo fuſe dotes in Epiſcopo nouiter conſtituendo requiſitas enarrat. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe etc.* Eccleſia certe paſtores ſuos tamquam veros Petri et Apoſtolorum ſucceſſores omnigena ſoluendi, et ligandi poteſtate praeditos omnibus

retro

retro saeculis venerata est; hinc tam sollicite custodiuit catalogos, in quibus tum romani Praesules, tum et aliarum inferiorum magis insignium Ecclesiarum Praelati recensentur, ex quorum numquam interrupta serie suis quoque aduersariis palam fecit, se omni tempore fuisse et adhuc esse illam illibatam Christi sponsam, quam sanguine suo acquisiuit, acquisitam deinceps Apostolis gubernandam concredidit, et ad finem mundi sub regimine legitimorum pastorum perseuerare fecit. Huiuscemodi catalogi romanorum Pontificum ac Episcoporum, maxime qui sedes Patriarchales tenuerunt, passim leguntur apud Historicos specialiter apud Hyacinthum Grauesonium tom. IX. Hist. noui test. Tabula chronologica 1. 2. 3. 4. et 5. Dum Episcopos Apostolorum successores in praesenti asserimus, hanc successionem tantum in iis, quae munus episcopale Apostolorum concernunt, non vero quae Apostolis vt Apostolis fuere propria, locum habere volumus. " Succedunt nostri Pastores (verba sunt Espenii Iur. eccles. part. I. Tit. XVI. cap. III. Num. 8.) Apostolis in regiminis ecclesiastici ministeriali potestate: nequaquam vero in hoc, vt sint testes vitae, doctrinae et resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, et sane testes oculati; neque in eo, quod a Christo immediate eligantur, et ad euangelizandum mittantur: neque in multis aliis gratiis et praerogatiuis; vt in copia spiritus sancti, in doctrinae infallibilitate, in plenitudine scientiae, in dono linquarum et miraculorum etc. in his enim Apostolorum proprietatibus nulla datur successio ordinaria in Ecclesia: fuerunt enim dona et priuilegia Apostolatus proprie dicti, in quem Episcopi non successerunt. Quidquid vero reliquae potestatis ac officii habuere Apostoli, id totum fuit episcopale; et in Episcopos tamquam eorum successores pro regimine suarum dioecesium plenarie transfusum est. "

§. XLII.

Ante omnes Episcopos Cathedrae romanae Praesules D. Petri Successores, et potestatis illius legitimi haeredes quibuscumque in difficultatibus succurrebant decidendo controuersias,

uerſias, aut ad conſultationes aliorum reſpondendo aut denique, ſi munus paſtorale, quod ſuper vniuerſos fideles gerebant, exigeret, ſcribendo epiſtolas, vel ad omnes totius orbis, vel particulares tantum Eccleſias, in quibus languentes exhortabantur, dubiis ſemitam rectam monſtrabant, aberrantes vero a recto tramite multo tum argumentorum tum authoritatis pondere ad viam veritatis reducebant.

Quamuis plurimae epiſtolae decretales falſo olim rom. Pontificibus ante Siricium ſaeculo IV. in cathedra D. Petri ſedentem fuerint adſcriptae, quae a Criticis paſſim vt ſpuriae reiiciuntur; neutiquam tamen exinde ſequitur, nullas omnino genuinas eorumdem epiſtolas aut harum ſaltem fragmenta nos habere. Exſtat epiſtola Clementis I. ad Corinthios ſcripta, quam in plurimis Eccleſiis inſtar apoſtolicarum epiſtolarum lectam fuiſſe, tradit Euſebius Hiſt. eccleſ. lib. III. cap. XII. S. Cornelii tres numeramus epiſtolas: quarum duae ſcriptae ſunt ad S. Cyprianum, inter cuius etiam epiſtolas recenſentur. Tertiam ad Fabium Antiochenum Epiſcopum directam refert idem Euſebius lib. VI. cap. XLIII. S. Stephani I. fragmenta epiſtolarum duo ſuperſunt: vnius mentionem facit S. Dionyſius alexandrinus apud Euſebium lib. VII. cap. V. Alterum vero ſupereſt apud S. Cyprianum epiſt. 74. S. Dionyſii fragmentum ex eius epiſtola aduerſus Sabellianos exhibet S. Athanaſius in epiſt. de decretis nicaenae Synodi. Omnes has epiſtolas ex ſaeculo ſecundo ſuperſtites habemus: ex ſaeculo autem tertio S. Felicis I. fragmentum epiſtolae eius ad Maximum alexandrinum Epiſcopum ſcriptae recitatur in actione prima Concilii epheſini oecumenici. Ex ſaeculo quarto vſque ad Siricium Pont. qui anno CCCLXXXV. Romae ſedit, trium rom. Antiſtitum epiſtolae exſtant. ſancti nimirum Iulii I. duae, quarum alteram ad Euſebianos dedit; alteram vero ad Clerum et populum alexandrinum. Illam nobis S. Athanaſius deſcripſit in apologia contra Arianos; hanc autem habet Socrates lib. II. cap. XXIII. Liberius P. duodecim nobis reliquit epiſtolas, ex quibus ſeptem inter S. Hilarii fragmenta leguntur: quatuor ad Euſebium Epiſcopum vercellenſem datas Cardinalis Baronius ex vercellenſis Eccleſiae tabulario

 edidit.

edidit. Duodecimam autem epistolam a Liberio ad Orientis Episcopos scriptam refert Socrates lib. IV. cap. XII. A S. Damaso octo accepimus epistolas, ex quibus quatuor edidit Holstenius in collectione romana bipartita. Duas Epistolas, quos ad S. Hieronymum dedit Damasus, inter epistolas quoque S. Hieronymi referri notum est. Reliquae duae, quarum vna ad Episcopos Illyrici, altera contra Apollinarium et Timotheum scripta fuit, exhibentur a Theodoreto et Epiphanio Scholastico. Prima quidem apud Theodoretum lib. II. cap. XXII. Et apud Epiphanium lib. V. cap. XXIX. Altera apud eumdem Theodoretum lib. V. cap. X. et apud Epiphanium lib. IX. cap. XV. Hi sunt genuini primorum summae sedis Pontificum partus, qui nostro adhuc aeuo maxima cum veneratione leguntur. Dubium non est, quin olim plures exstiterint tum horum, quos recensuimus, tum et aliorum R. P. Epistolae, quarum tamen iacturam Ecclesia nostra ex merito deplorat. Memoria illarum hinc inde apud scriptores ecclesiasticos refricatur: Eusebius lib. V. cap. XXIII. memorat epistolam S. Victoris I. super controuersia Paschatis celebrandi scriptam. Praeter tres adhuc exstantes S. Cornelii Epistolas aliarum tum ipse meminit, tum etiam S. Hieronymus libro de viris illustribus cap. LXXVI. nec non Eusebius lib. VI. cap. XLVI. S. Soteris epistolam ad Corinthios memorat S. Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. IV. cap. XXIII. S. Fabiani litteras allegat S. Cyprianus epist. LV. item epist. LXVII. literas S. Lucii Pont. Saeculi quarti summorum Pontificum Marcelli, Eusebii, Melchiadis, Siluestri et Marci nulla prorsus epistola indubitata nobis suppetit, quum tamen vero simillimum sit, vel ab omnibus, vel a pluribus saltem aliquas fuisse exaratas. S. Siluester certo plures scribere occasione Synodi nicaenae sub eodem celebratae necesse habuit. Liberius in duodecim epistolis, quas adhuc habemus, crebrius et alias epistolas a se editas citat: specialiter vero a S. Siricio in litteris ad Himerium Episcopum tarraconensem datis commendatur epistola illa decretalis, quam Liberius per prouincias misit. S. Damasum plures alias, praeter octo recensitas, scripsisse epistolas, testis est omni exceptione maior S. Hieronymus in epist. 123. Quanta ex his venerandae antiquitatis monumentis Iuri nostri accederent incrementa, si integra hodiedum exstarent! De reliquis epistolis decreta-

libus

libus Pontificum romanorum a Siricio vſque ad Sixtum IV. ſaeculi XV. Pontificem Max. videri poteſt Douiat Praenot. canon. lib. II. cap. XXVIII. et ſequent. longior enim foret haec materia, quam vt praeſentis diſſertationis pagellis pro dignitate ſua dilucidari poſſit.

§. XLII.

Si controuerſia aut circa fidem aut circa mores vehementior exarſit, latiusque iamiam ita ſpargi coepit, vt inſigniores quoque Eccleſiae peruerſionis periculum ſubirent, tum romani Antiſtites exempla Apoſtolorum pro indefeſſo ſuo zelo ſecuti Conuentus plurium Epiſcoporum inſtituerunt, in quibus aſſiſtente ſpiritu ſancto, vt ex promiſſione Chriſti certo ſperare poterant, tutas agendi regulas errantibus propoſuerunt. Idem, quod ſummi Pontifices Romae fecerunt, ceteri Epiſcopi in ſuis prouinciis ab vrbe romana remotioribus, maxime, ſi ibidem controuerſia orta eſſet, facere non omiſerunt. Hinc venit, quod primis iam Eccleſiae ſaeculis tot Concilia particularia variis in locis celebrata legamus.

Vt taceamus haereſes primis iam Eccleſiae ſaeculis in agro eccleſiaſtico ſuccreſcentes, quae forum theologicum magis, quam canonicum reſpiciunt, ſolum hic obiter ſaltem attingere lubet notiſſimas illas controuerſias de celebrando Paſchate, nec non de rebaptizandis illis, qui Baptismum ab haeretico miniſtro accepiſſent, illo aeuo agitatas. Prima controuerſia de die, quo Paſcha celebrandum eſſet, incepit ad finem ſaeculi II. ſub Victore I. R. P. Duplex hac de re occidentalis et orientalis Eccleſiae erat ſententia: Victor romanae ſedis Antiſtes cum Occidentalibus, et multis quoque ex Oriente Epiſcopis Paſcha iuxta traditionem apoſtolicam celebrandum contendebat die dominica lunam decimam quartam menſis primi mox inſequente. Ceteri vero Orientis Epiſcopi cum Polycrate epheſinae Eccleſiae Praelato no-

nitia suarum Ecclesiarum traditione seducti acriter institerunt, vt Pascha celebraretur more Iudaeorum ipsa luna decima quarta mensis primi, in quamcumque demum hebdomadae diem haec luna incideret. Plures Synodi ex praecepto Victoris P. ad dirimendam hanc controuersiam fuere celebratae. Primum inter eas locum obtinet Concilium *Romanum* praeside eodem Victore I. anno Christi CXCVIII. congregatum, in quo decernebatur, Pascha non cum Iudaeis, sed Dominica proxime sequente celebrari debere. Qui huic decreto morem gerere nollent, Communione ecclesiastica priuari iubebantur. Speciale Quartodecimanorum nomen reluctantibus ab hoc tempore inhaesit. Sententia ista, quae S. Irenaeo Lugdunensium Episcopo paulum asperior visa fuit, nihilo secius confirmabatur in Concilio *Palaestino* sub praesidio Theophili caesariensis Episcopi, nec non in Conciliis *Pontico* et *Gallico* sub praeside S. Irenaeo eodem anno habitis. Hi omnes in principali causa cum sede romana conueniebant, in eo solum dissentientes: quod propter diuersos ritus nequaquam soluenda sit vnio inter Ecclesias. Ex altera parte Asiatici, vt suae quoque doctrinae consulerent, eodem anno, quo Romae Synodus agebatur, conuocarunt Concilium *asiaticum* ex Episcopis Asiae minoris conflatum, cuius praesidii munus obibat dictus Polycrates Episcopus ephesinus. In hoc Concilio contraria decreto romano obtinuit sententia; stabilitum namque fuit, Pascha pro omni tempore celebrandum esse ipsa luna decima quarta praenominati mensis, siue dies esset Dominica, siue alia per hebdomadam. Hoc suum decretum Asiatici romano Pontifici Victori submisere, et ne coeco impetu in eodem condendo abrepti viderentur, pro fundamento allegarunt traditionem Ecclesiarum in Asia perpetuam, quam tum a Ioanne Apost. tum a Philippo Diacono, tum denique a Policarpo smyrnensi Episcopo accepissent. Ast Victor parum hisce fundamentis permotus suae sententiae institit, totumque Asiaticorum conuentum reprobauit, quod et subsequentes Synodi generales fecere. Altera de reiteratione baptismatis ab haeretico ministro collati controuersia iam Tertuliani tempore in Africa gliscere coepit. Hic acerrimi ingenii vir, orthodoxam adhuc colens Religionem, nihil omnino ne baptisma quidem cum haereticis commune habere voluit. Qui ergo a talibus baptizati erant, ex illius sententia non prius in Ecclesiam recipie-

cipiebantur, quam iterato S. baptiſma ab orthodoxo miniſtro ſuſcepiſſent. Controuerſia, cui Tertullianus ad finem ſaeculi II. praeludebat, fomentum accepit ſaeculo III. haud exiguum, poſtquam ſub Zephyrino romano Pontifice Agrippinus carthaginenſis Epiſcopus coacto ex Africa et Numidia Concilio definiuit: Baptiſmum ab haereticis collatum eſſe iterandum; quoniam nullum eſt baptiſma extra Eccleſiam. Tandem vero ſub Stephano I. Chriſti in terris vicario ingens ortum eſt incendium. S. Cyprianus, tum temporis Carthaginenſium Epiſcopus, quum in vtramque partem de valore baptiſmi videret ſententias, certam regulam habere cupiens nationalem Synodum Carthagine conuocauit, atque in eo audacter decidit, vnum eſſe in Eccleſia Baptiſmum, propterea foris baptizatos rebaptizandos eſſe. Hoc ipſum decretum in alio Concilio in praeſentia LXXI. Epiſcoporum tum ex Africa tum ex Numidia confirmauit. Stephanus Papa, qui nihil innouandum, ſed quod traditum eſſet, caute ſeruandum exiſtimabat, percepta hac bina ſynodali definitione, Synodos iſtas reprobauit, Baptiſmum vero ab haeretico collatum, dummodo materiae et formae nullus ſubeſſet defectus, validum pronuntiauit. Reſtitit authoritati pontificiae S. Cyprianus, prioremque ſententiam in nouo Concilio Carthagine celebrato LXXXVII. Epiſcoporum ſuffragio ſtabiliuit. Paulo poſt haec contentio ex Africa in Aſiam quoque tranſiit, vbi pariter ſynodali iudicio Cypriani doctrina definita eſt. S. Stephanus autem Romae, malum radicitus amputare conatus, omnibus Conciliis tamquam traditioni apoſtolicae contrariis ex aſſe reprobatis, in ſubſcribentes excommunicationis fulmen aut actu vibrauit, aut ſerio certe minitatus eſt, quamuis ne ſic quidem exortum ſemel incendium penitus extinqui potuerit. Hunc morem conuentus particulares celebrandi per plurima ſaecula continuauit Eccleſia, quae firmiter ſibi perſuaſum habebat, plurimum efficaciae huiusmodi Conciliis ineſſe tum ad diſciplinam eccleſiaſticam ſartam tectam ſeruandam, tum etiam, ſi hinc inde collapſa videretur, ad eamdem erigendam et priſtino nitori reſtituendam. Canones in Synodis etiam particularibus conditi tantae erant authoritatis, vt collectionibus inſerti ad tractanda negotia eccleſiaſtica publice adhiberentur. Exemplo eſſe poteſt antiqua illa Canonum collectio, quae prima paſſim creditur; haec praeter canones duorum Conciliorum generalium nicae-

ni

ni I. et constantinopolitani I. insuper complectebatur regulas Synodi *Ancyranae*, *Neo-caesariensis*, *Gangrensis*, *Antiochenae*, et *Laodicenae*, ad quas in Concilio calcedonensi oecumenico, quod istam Canonum collectionem vna cum libro Euangeliorum ad decidendas causas adhibebat, absque discrimine Action. IV. et XI. prouocatum fuit.

§. XLIII.

Quamdiu Ecclesia sub duro gentilium Imperatorum iugo pressa quidem, oppressa vero numquam gemebat, metu persecutionis conuentus vniuersales ex omnibus totius orbis Episcopis congregare haud potuit: ast vbi serenior illuxit Phoebus, paxque per piissimum Imperatorem Constantinum M. reddita, illico conciliorum oecumenicorum vsus inualuit, in quibus sub praesidio et directione romani Pontificis in praesentia satis numerosa Episcoporum vndequaque confluentium haereses nouiter exortae vel in primo suo ortu fuere extinctae, vel longius iam grassantes confixae, Schismata sublata, controuersiae absque tergiuersatione compositae aut decisae, fidei dogmata ex verbo Dei tum scripto tum tradito nouiter declarata, nec non saluberrimae leges pro instruendis fidelium moribus sancitae, quae eo magis stringebant omnes, quo firmius quisque persuasus fuerat, eas non tam ab homine conditas, quam ab ipso spiritu S. dictatas esse, cuius infallibilis assistentia, qua omne errandi periculum ab Ecclesia illa veritatis columna longissime auerteretur, toties in sacris litteris promititur.

Primum Concilium gnenerale, quod post tempora Apostolorum celebratum legimus, est nicaenum I. sub Syluestro romano Pontifice, et Constantino M. Imperatore, qui congregandae huic Synodo strenue

nue omnem locauit operam; nec inanis fuit labor piissimi Imperatoris; conuenere enim anno Christi CCCXXV. Niceae in Bythinia Episcopi CCCXVIII. qui sub praesidio legatorum apostolicae sedis arianam haeresin diuinitati Christi et eiusdem cum Patre consubstantialitati aduersam condemnarunt: antiquam illam Quartodecimanorum de celebrando Paschate controversiam finali iudicio deciderunt: Meletium Episcopum multorum criminum reum, ac Ecclesiam pessimo schismate dilacerantem omnibus functionibus episcopalibus, solo Episcopi nomine retento priuarunt. In fine denique pro restauranda praesertim disciplina ecclesiastica plures canones, XX. communiter recensentur, condiderunt. Plura subsequentibus saeculis concilia generalia tum in Oriente tum in Occidente etiam a saeculo XII. fuere celebrata, de quibus inferius, vbi de Conciliis ex professo sermo erit, agemus. Quanta vero cum reuerentia decreta conciliorum fuerint recepta, ex testimonio Iustiniani Imperatoris in nouella CXXXI. cap. I. sufficienter colligi potest. " Sancimus, inquit ibidem, vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt, aut firmatae, hoc est in nicaena trecentorum decem et octo, et in Constantinopolitana sanctorum centum quinquaginta Patrum, et in ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, et in chalcedonia, in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Praedictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, et regulas sicut leges obseruamus. "

§. XLIV.

Florebant ab ipsis Ecclesiae incunabulis viri et doctrina et sanctitate maxime conspicui, quorum indefessus labor eum praecipue finem respiciebat, vt verbum Dei scriptum fideliter exponerent, traditiones tum diuinas, tum apostolicas quin et ecclesiasticas litteris consignarent, consignatas vero serae posteritati transmitterent. Neque in hoc quiescere

re adhuc potuit illorum ſtudium; deriuabant inſuper ex limpidiſſimis hisce fontibus ſaluberrimas morum regulas, quas fideli populo, illis praeſertim, qui recenter ad fidem conuerſi erant, inſtar lactis inſtillabant. Horum doctrinas tanti ſemper Eccleſia aeſtimauit, vt ea paſſim in conuentibus Chriſtianorum praelegi, ac veluti tutiſſimam viuendi regulam cuſtodiri mandauerit.

Hos viros ſanctitate, doctrinaque non minus, ac antiquitate venerandos ſanctorum Patrum titulo honorauit Eccleſia; vere enim Patres ſunt, qui tot Chriſto genuerunt filios, genitos etiam ſanae doctrinae pabulo nutriuerunt. Et quamuis non omnes illorum leges ferendi praerogatiua fuerint inſignes, plura tamen ex eorumdem operibus decerpta ſummi Pontifices ſua fecerunt, propriisque legibus immixta toti Eccleſiae canonis loco propoſuerunt. Hinc non immerito ſanctorum Patrum authoritatem adeo commendauit Leo IV. diſt. XX. can. 1. §. I. *Quam ob cauſam luculentius, et magna voce pronuntiare non timeo; quia, qui illa, quae diximus, ſanctorum Patrum ſtatuta, quae apud nos Canonum nomine praetitulantur (ſiue ſit ille Epiſcopus, ſiue Clericus, ſiue Laicus) non indifferenter recipere conuincitur, nec catholicam et apoſtolicam fidem, nec ſancta quatuor Euangelia vtiliter et efficaciter ad effectum ſuum retinere, vel credere probatur.* Atque haec ſunt, ex quibus Ius canonicum poſt Apoſtolorum diſceſſum in immenſum quaſi auctum eſt, vt opus fuerit quam plurimis collectionibus, in quibus canones per incertas ſedes vagantes in vnum redigerentur volumen, redacti vero quotidiano deſeruirent vſui. De his collectionibus canonum variis ſaeculis adornatis fuſius tractare ad diſſertationem tertiam differimus.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE FONTIBVS IVRIS CANONICI TAM IN GENERE QVAM DE ORIGINARIIS IN SPECIE.

CAPVT I.

DE FONTIBVS IVRIS CANONICI IN GENERE.

§. I.

Fontis appellatione in Iure canonico intelligimus certa illa ac infallibilia principia, ex quibus Iuriſperitus fortiſſima deſumit argumenta ad confirmandas concluſiones, quas de rebus vel ad mores vel ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus in medium profert.

Quod Ius canonicum fontis nomine intelligit, Theologia locorum theologicorum vocabulis exprimit. Vtraque diſciplina hoc commune fatum experta eſt, quod longo tempore materia iſta oppido neceſſaria aut obiter tantum pertractata, aut omnino neglecta fuerit. Quum tamen nec Theologus, nec Iuriſperitus in ſua palaeſtra tuto pede procedere valeat, niſi ante penitius inſpexerit naturam ac firmitatem ſuorum principiorum, quibus omnes concluſiones inniti debent. Alia certe eſt indoles regularum ex verbo Dei tam ſcripto quam tradi-

to desumtarum, alia illarum natura, quae ab Ecclesia vniuersali proponuntur, et alia demum, quas concilia particularia, aut Episcopi singularium Ecclesiarum Rectores sibi subiectis praescribunt.

§. II.

Haec principia considerari possunt vel in se ipsis, vel quatenus in variis collectionibus coadunata reperiuntur. In prima consideratione principia ista fontes originarios, de quibus in praesenti dissertatione sermo est, appellamus; collectiones vero, quae isthaec principia coadunata exhibent, pro fontibus deriuatiuis habemus ac speciali dissertatione tertia de iisdem agemus.

§. III.

Quot fontes originarii numerandi sint, absque difficultate constabit, si obiter ad ea reflectamus animum, quae de origine et incrementis Iuris canonici in prima dissertatione praemisimus. Christus et Ecclesiae et Iuris nostri Author leges tum ad fidem tum ad mores pertinentes ipse tulit, quae aut in scriptura sacra fidelibus inculcantur, aut per aptos testes continua traditione fuere custoditae. His legibus moralibus Apostoli ad regimen Ecclesiae diuinitus vocati plures alias tum cultum diuinum, tum ordinatum regimen externum in Republica ecclesiastica spectantes addiderunt, quae itidem vel in actibus Apostolorum vel in eorumdem epistolis

ſtolis ſcriptae leguntur, aut traditae ac in fide dignis monumentis in diem hodiernum conſeruatae exſtant. Poſt Apoſtolorum ex hoc mundo diſceſſum ſummi Pontifices vel vnacum Epiſcopis in conciliis congregatis ſaluberrimas leges tulerunt, vel pro ratione primatus, quem haereditario Iure a D. Petro accepere, extra conuentus Eccleſiae agendi normam ſtatuerunt, vel denique ex ſanctorum Patrum voluminibus ſingularia capita, quibus mores informarentur, chriſtiano populo cuſtodienda praefixerunt.

§. IV.

Ex his ſua ſponte liquet, quinque ad ſummum Iuris canonici fontes originarios adſtrui debere. Primum illorum *verbum Dei ſcriptum*, alterum in *verbo Dei tradito* reperimus. Tertii fontis loco ſunt ſacrorum Conciliorum canones. Pro quarto veneramur romanorum *Pontificum decreta*. Et quintum demum ex ſanctorum *Patrum doctrinis* haurimus. Iſti quinque fontes omnium, quotquot hactenus videre licuit, Iuris eccleſiaſtici collectionum caput et origo erant.

Non obeſt, quod eosdem fontes tamquam locos ſibi proprios, et quidem intrinſecos Theologia adoptet. Fatemur ingenue Theologiam inde ſua haurire principia, vnde haurit Iurisprudentia canonica, aſt diuerſa plane ſub ratione, quam diſſert. I. §. XI. ex parte iam inſinuauimus. In his fontibus duplicis generis regulae credendi nimirum et agendi reperiuntur. Quatenus normam credendorum tutiſſimam exhibent, a Theologia non modo conſiderantur, ſed copioſiſſime etiam

exponuntur, prout videre est in operibus Melchioris Cani, qui plures de locis theologicis libros conscripsit. In quantum vero tractant de rebus ad morum informationem pertinentibus, non immerito de iis partem sibi Ius canonicum vendicat, quod ex fine suo primario ordinatum Ecclesiae regimen, nec non morum honestatem omnimodam in Reipublicae ecclesiasticae membris intendit. Neque nos cocta recoquere existimes, dum Theologorum exempla secuti fontes originarios Iuris canonici Candidatis tam in genere quam in specie examinandos proponimus. Optandum equidem foret, vt omnes disciplinis theologicis praeuie imbuti ad sacrae Themidis tribunal accederent; quoniam vero plurima pars, nescio, quo impedimento detenta, recenter a studio philosophico, quin vel a longe domum istam, quam sapientia sibi aedificauit, salutauerit, operam studio iuridico consecrare allaboret, vtilissime me facturum sperabam, si de fontibus originariis talem expositionem in medium proferrem, quae scientibus minime onerosa, ignorantibus autem, ne in necessariis subsidiis defectum paterentur, summe esset proficua.

§. V.

Sunt Iuris canonici interpretes, qui pauciores, ac nos: sunt, qui plures Iuris nostri fontes assignent. Discrimen, quod nostram, et illorum doctrinam intercedit, facili labore tolli potest. Qui plures agnoscunt, aut fontes originarios cum deriuatiuis confundunt, aut omnino extraneos, et ad forum iuridicum non pertinentes iisdem immiscent; qui autem pauciores tradunt, duos saepe in vnum contrahunt, quos tamen ipsa ratio necessario dictat esse seiungendos.

Pauciores, quam quatuor fontes nemo canonistarum facile determinabit; quum verbum Dei, canones conciliorum, Pontificum decreta, ac sententiae sanctorum Patrum omnem in Iure nostro impleant paga-

paginam. Equidem ſub verbo Dei ſcriptum aeque ac traditum comprehendunt. Et hoc ſi de traditionibus diuinis loquamur, difficultate caret: Aſt quum praeter traditiones diuinas etiam apoſtolicas nec non eccleſiaſticas, quae in Iure canonico nequaquam contemnendae ſunt, habeamus, ideo ſub generali verbi Dei appellatione totam traditionum naturam ac varietatem ſufficienter haud exſplicant. Author principiorum introductione §. XIV. praeter ſcripturam, traditionem, concilia, Pontificum decreta et ſententias Patrum pro fontibus Iuris eccleſiaſtici aſſignat inſuper *Symbola*, ex quibus, quum ſint ſummariae collectiones principaliorum fidei articulorum, Theologus quidem non vero Iuriſperitus ſua arma deſumit. *Conſenſum eccleſiae*, qui ſub diuerſo reſpectu vel ad traditionem, vel ad Concilia, vel aliquo modo etiam ad Pontificum decreta reduci debet. Si conſenſus Eccleſiae ex eo colligitur, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus ita creditum obſeruatumque fuerit, traditionem aut diuinam aut certe apoſtolicam inſinuat; quia "quod vniuerſa tenet eccleſia, nec a con-"ciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate apoſto-"lica traditum rectiſſime credimus." S. Auguſt. lib. V. de Baptiſm. cap. XXIV. Si conſenſus Eccleſiae in generali omnium paſtorum conuentu circa controuerſiam ad fidem vel mores pertinentem expreſſus adeſt, hic optime conciliis ipſis adſcribitur; ſi vero decretum pontificium vniuerſae Eccleſiae propoſitum vnanimi conſenſu ab eadem acceptatur, tunc tacitus iſte Eccleſiae conſenſus praeter decretum Pontificis vt acceptatum nil noui importare videtur. Corpus Iuris ciuilis et canonici, quod citatus Author vlterius pro fonte adſtruit, huc omnino non pertinet, primum continet principia extranea, quae ab Eccleſia libere recipiuntur, aut etiam reprobantur. Alterum ad fontes deriuatiuos ideo ablegamus; quia ex fontibus originariis tantum quaedam principia in vnum volumen collecta exhibet, ad quorum pleniorem intelligentiam ſaepiſſime ad fontes ipſos recurrere nos oportet.

CA-

CAPVT II.

DE SACRA SCRIPTVRA PRIMO IVRIS CANONICI FONTE ORIGINARIO.

§. VI.

Scriptura, quae tum ratione Authoris, qui Deus eſt, tum ratione materiae, quam pertractat, altiſſimae, tum ratione finis, quem intendit, ſublimiſſimi, Iure praecipuo *ſacra* dicitur, licet aliis quoque nominibus efferri ſoleat; nam modo quaſi per antonomaſiam *ſcriptura* appellatur: Nunc *ſacrarum litterarum* nomine venit, nunc etiam *verbum Dei, teſtamentum*, vel *Biblia* audit.

Omnium horum vocabulorum, quae pro ſynonimis paſſim accipiuntur, veſtigia deprehendere licet in ipſa ſcriptura ſacra: Act. cap. VIII. v. 32. Scriptura ſine addito nuncupatur: *Locus autem ſcripturae, quam legebat, erat hic.* S. Paulus II. ad Timoth. cap. III. v. 15. dilectiſſimum ſuum filium ob litterarum ſacrarum ſcientiam laudat: *Quia ab infantia ſacras litteras noſti etc.* idem Apoſtolus I. ad Theſſal. cap. II. v. 13. Theſſalonicenſes commendat, quod verbum Dei digne receperint: *Quoniam, quum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed (ſicut vere eſt) verbum Dei.* Ad Galatas cap. IV. v. 24. diſſertis verbis ſcripturam ſacram teſtamentum appellat: *Haec enim ſunt duo teſtamenta, vnum quidem in monte Sina in ſeruitutem generans etc.* Biblia (id eſt liber) vocatur ſcriptura in prima mox inſcriptione, quae communiter ita legitur: *Biblia ſacra vulgatae editionis.*

§. VII.

Scriptura sacra, cuius varia nomina attulimus, secundum rem ipsam definiri potest: Quod sit verbum Dei ab Authore Hagiographo afflante spiritu sancto scriptum, et vt tale ab Ecclesia catholica nobis manifestatum.

Breuius a quibusdam describi solet: *Quod sit verbum Dei scriptum ipso afflante.* ita clariss. P. Zech in praecogn. Iur. canon. tit. VII. §. 70. Nos priorem definitionem maioris claritatis causa retinemus et breuiter simul exponimus. Dicitur *verbum Dei*, quia *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.* ad Hebrae. cap. I. v. 1. An Deus in veteri testamento aeque ac in nouo hominibus de ore ad os locutus, num vero Angelorum ministerio vsus fuerit? inquirit sat operose Tournelius tract. de leg. cap. IV. sect. III. *Scriptum* additur, vt a traditione diuina distinquatur, quam pari reuerentia vt verbum Dei recipimus. Scriptum insuper esse debet ab *Authore Hagiographo*, id est, sancto, et ad scribendum specialiter a Deo electo. *Afflante spiritu sancto.* Afflatus iste singularem scribentis importat directionem a spiritu sancto factam, vt sacer scriptor haec potius quam alia, et hoc quidem modo, hisce etiam verbis et litteris consignaret. Neque superabundare credas hunc sancti spiritus afflatum ea forte permotus ratione, quod verbum Dei aeque effici posset per testimonium spiritus sancti humanae scripturae accedens quo declaratur, omnia, quae in hoc libro tam de rebus sacris, quam profanis conscripto inueniuntur, vera esse, prorsusque nihil falsi in eo reperiri. Solum profecto testimonium et approbatio scripturae alienae numquam tantae censetur efficaciae, vt fiat per eam verbum approbantis. Res in exemplo patet: licet liber ab integra quadam Theologorum facultate ab omni circa fidem errore immunis approbetur, nullus propterea dicet: hunc librum esse partum ipsius facultatis, continere verba ipsorum Theologorum etc. multo igitur minus verbum humanum fiet verbum Dei, si testimonium tantum diuinum accesserit, quod nihil erroneum ibidem reperire sit. Assistentia S. spiritus singularis,

laris, quamuis a scribente omne errandi periculum longissime arcere valeat, verbum Dei tamen minime efficit; nemo Catholicorum est, qui ignoret, concilia oecumenica eadem spiritus sancti assistentia regi, summorum quoque Pontificum decreta, vt vel minimi circa sanam fidei aut morum doctrinam errores praecaueantur, spiritu sancto assistente condi; numquam tamen auditum est, vel conciliorum canones, vel Pontificum elogia pro verbo Dei habenda esse. Opus itaque est speciali afflatu, quo spiritus diuinus manum scribentis multo perfectius afficiat, quam Magister manum tyronis ad efformandas litteras dirigens, suoque impulsu harum ductus efformans: *Non* enim *voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines*, Inquit S. Petrus epist. II. cap. I. v. 21. An ex hac adeo singulari directione sequatur, omnes omnino sententias, singula verba, ipsasque litteras sacris scriptoribus a Deo fuisse inspiratas, fusius examinant Theologi nominatim Reuerendissimus Bertholdus Vogl in prolegom. theologiae sect. II. cap. I. §. IX. Clariss. P. Corbinianus Thomas part. I. de scriptura S. cap. III. In fine definitionis adiicitur: Et *vt tale ab Ecclesia catholica nobis manifestatum.* Absque hac manifestatione, licet verbum Dei semper quoad se tale maneret, nobis tamen constare minime posset, quinam libri praecise pro diuinis haberi debeant, an primus et secundus Esdrae tantum, an non etiam tertius et quartus? cum passim in vno volumine circumferantur. *Ego vero Euangelio non crederem*, dicit S. August. l. Contra Ep. fundam. cap. V., *nisi me catholicae Ecclesiae commoueret authoritas.*

§. VIII.

Scriptura sacra, cuius existentiam ex Theologia supponimus, generali diuisione abit in *testamentum vetus* et *nouum.* Vtrumque plures complectitur libros: vetus quidem *quadraginta quinque*: nouum vero *viginti septem* exhibet, ita, vt vniuersim septuaginta duorum sacrorum librorum numero vniuersa scriptura absoluatur.

Testa-

Testamentum dicitur; quia singularem Dei erga homines voluntatem testatur. Dicitur insuper *antiquum* et *nouum testamentum:* et hoc quidem haereditatis aeternae promissionem testatoris Christi sanguine subscriptam, ipsaque morte confirmatam importat: illud vero promissionem regni Palestinae, tamquam haereditatis Iudaeorum, sanguine et morte vitulorum ac agnorum velut in figuris noui testamenti sancitam complectitur. Discrimen inter vtrumque testamentum fusius prosequitur gentium Doctor in epist. ad Hebraeos. cap. IX. Numerum librorum sacrorum, ac eorumdem nomina iuxta ordinem recenset trident. Concilium sess. IV. in decreto de canonicis scripturis.

§. IX.

Libros sacrae scripturae diuidimus in *canonicos* et *apocryphos.* Canonici rursus sunt vel *Proto-* vel *Deutero-canonici*, quae diuisiones procedunt quoad vtrumque testamentum.

Canon in praesenti loco non amplius regulam tantum, sed *Catalogum*, *Indicem*, *Matriculam*, seu *Syllabum* denotat, in qua significatione saepius hoc vocabulum apud scriptores ecclesiasticos occurrere testatur Douiat. praenot. canon. L. I. cap. I. Num. 8. Sic E. G. Sancti ab his scriptoribus dicuntur canonizati, si solemni ritu in sanctorum catalogum relati legantur. Clerici vocantur canonici, si in syllabum cuiusdam Ecclesiae ita redacti sint, vt perpetuo ab eadem necessaria vitae subsidia petere possint. Libros itaque canonicos iuxta praedictam canonis acceptionem dicimus illos, qui in catalogo scripturarum sacrarum vel a Synagoga vel ab Ecclesia approbato continebantur, aut semper, aut serius saltem in eumdem recepti sunt. Illos vero, qui numquam hactenus in tali catalogo locum obtinuerunt, non canonicis seu apocryphis adnumeramus. Libros S. scripturae ea quoque ex ratione canonicos dici posse, quia vtilissimas tum fidei tum morum regulas tradunt, ex testimonio S. Irenaei lib. IV. adu. haeres. cap. 69. colligitur: " Quia sacra scriptura est indeclinabilis et inuiolabilis regula,

" inde libri, qui reuera sacrae ipsius scripturae authoritate gaudere exi-" stimantur, dicuntur canonici." Librorum apocryphorum in vtroque testamento ingens existit cumulus, quorum omnium catalogum in tres classes accurate diuisum refert allegatus Reuerendiss. Bertholdus Vogl in Proleg. Theologiae sect. II. cap. II. §. XV. nec non cap. III. §. VII. Libri Proto-canonici audiunt, qui omni tempore pro libris diuinis habiti, semper in canone sacrae scripturae exstiterant: Deutero-canonici autem, de quorum authentia aliquando fuerat dubitatum, et hoc ipso serius in sacrarum litterarum catalogum admissi sunt. Haec diuisio ex inferius dicendis magis patebit, vbi de canone tam veteris, quam noui testamenti sermo erit.

§. X.

Alio modo diuiduntur libri in sacra scriptura contenti ex materia, quam pertractant: vel enim isti leges diuinas nobis inculcant, et vocantur *legales*: vel rerum gestarum historias commemorant, et eosdem *historicos* appellamus: vel hominem in vera sapientia instruunt, et speciali librorum *sapientialium* titulo a nobis honorantur: vel denique futura praenuntiant, atque ob Prophetiae spiritum in iis latentem iure merito *propheticos* nuncupamus.

Libris legalibus veteris testamenti adnumeramus Pentateuchum, id est, quinque libros Moysis *Genesin*, *Exodum*, *Leuiticum*, *librum Numerorum*, et *Deuteronomium*. In lege noua: *quatuor Euangelia*. Historici in antiquo foedere erant liber *Iosue*, *Iudicum*, *Ruth*, quatuor *libri Regum*, *duo Paralipomenon*, *et duo Esdrae*, *Tobias*, *Iudith*, *Esther*, *Iob:* nec non primus et secundus *Machabaeorum* liber. In testamento nouo *Actus Apostolorum* historiam nascentis Ecclesiae post Christi in coelos ascensum nobis referunt. In vera sapientia Iudaeos instruebant *Salomonis Prouerbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum canticorum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*. In lege autem gratiae mel sapientiae Christianis

ſtianis inſtillatur tum in quatuordecim S. Pauli, tum in reliquis ſeptem aliorum Apoſtolorum epiſtolis. Interitum Synagogae, nec non Chriſti aduentum et Eccleſiam nouiter ab eodem erigendam prophetico ſpiritu Iudaeis praenuntiabant *Pſalmi Dauidici*, *Iſaias*, *Ieremias*, *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, ac duodecim *Prophetae minores.* Chriſtianis ſecundum Chriſti aduentum graphice depingit *Apocalypſis*, quam S. Ioannes in Inſula Patmo conſcripſit. Ioan. cap. I. v. 9.

§. XI.

Canonem ſcripturarum ſacrarum in hac materia catalogum vel indicem librorum diuinorum inſinuare, ſupra §. IX. dictum fuit. Hic catalogus non vnus idemque omni tempore exſtitit, ſed alium Iudaeorum Synagoga exhibet, alium tridentinum Concilium recenſet; alium demum pro lubitu ſuo ſibi fabricant Heterodoxi. Canon Iudaeorum viginti duos complectebatur libros, quem canonem, exacta captiuitate babylonica, approbante Synagoga magna Esdras probabilius confecit.

Pro hoc canone ab Esdra confecto et clauſo militat eruditiſſimus Calmetus in dictionario biblico verbo *Canon.* vbi inquit, „ Satis recepta traditio eſt apud Hebraeos, canonem ſcripturae clauſum non „ fuiſſe, vt eorum phraſi loquar, ſeu libros ſacrae ſcripturae non fuiſ„ ſe numero certo, niſi Esdrae aetate determinatos. Ille enim, an„ nuente concilio generali totius nationis libros, ſacros in vnum cor„ pus collegit, et canonem ſcripturarum digeſſit. „ Idem videtur eſſe iudicium S. Irenaei lib. III. cap. XXV. Tertull. de habitu mulieris cap. III. et S. Hieronymi contra Heluidium cap. III. Quinam praeciſe libri in canone Esdrino continebantur, exponit Ioſephus Iudaeus lib. I. contra Apionem, cuius teſtimonium eo maioris momenti eſſe debet, quo certius conſtat, eum inter Hebraeos fuiſſe doctiſſimum et inſuper Sacerdotem, cui gentis ſuae hiſtoria ſacra optime perſpecta

 fuit.

fuit. " Infiniti libri, (ita ipsius verba sonant) non sunt apud nos di-
" scordantes, et sibimet repugnantes: sed solummodo duo et viginti
" libri, habentes temporis totius conscriptionem, quorum iuste fides
" admittitur. Horum ergo quinque quidem sunt Moysis, qui natiui-
" tates continent, et humanae generationis traditionem habent usque
" ad eius mortem. Hoc tempus tribus millibus annis paululum minus
" est. A morte vero Moysis usque ad Artaxerxem Persarum Regem,
" qui fuit post Xerxem, Prophetae suorum temporum res gestas con-
" scripserunt in tredecim libris. Reliqui vero quatuor hymnos in De-
" um, et vitae humanae praecepta noscuntur continere. "

§. XII.

Libros viginti duos, quos in Hebraeorum canone fuisse, Io-
sephus narrat, S. Epiphanius haeresi VIII. singilatim re-
censet, ita tamen, vt nonnumquam illos seiungat, qui a Iose-
pho pro vno fuere computati, et vel ideo maiorem ac Io-
sephus librorum sacrorum numerum, aliumque ordinem pro-
fert. Viginti septem sequenti serie enumerat: " Quinque
" Moysis, sextus Iosue, septimus Iudices, octauus Ruth,
" nonus Iob, decimus Psalterium, vndecimus Prouerbia,
" duodecimus Ecclesiastes, decimus tertius Canticum, de-
" cimus quartus Regum primus, decimus quintus, decimus
" sextus, decimus septimus Regum secundus, tertius, quar-
" tus: decimus octauus, Paralipomenon primus, decimus no-
" nus, Paralipomenon secundus, vigesimus Isaias, vigesi-
" mus primus duodecim Prophetae minores, vigesimus se-
" cundus Ieremias, vigesimus tertius Ezechiel, vigesimus
" quartus Daniel, vigesimus quintus Esdrae primus, vigesi-
" mus sextus Esdrae secundus, vigesimus septimus Esther. "

Quum

Quum nulla in hoc ab Epiphanio confecto sacrorum librorum catalogo mentio occurrat libri *Tobiae*, *Iudith*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*. *primi* et *secundi Machabaeorum*, manifeste patet, hos libros in canone Iudaeorum numquam exstitisse, ac proinde Iure merito libris deutero-canonicis adnumerandos esse. Immo de nonnullis ab Epiphanio quoque recensitis libris dubium remanet, an fuerint omni tempore pro diuinis habiti. Librum *Esther* docet Iuenin dissert. IV. Theol. proleg. cap. V. art. II. olim fuisse expunctum ex canone Iudaeorum, suamque sententiam confirmat authoritate *Melitonis* Sardensis apud Eusebium hist. eccles. lib. IV. cap. XXVI. *Athanasii* in synopsi, nec non *Gregorii Nazianzeni* in suo de genuinis scripturis carmine. Librum *Baruck* non semper tamquam diuinum fuisse agnitum, testis est S. Hieronymus praefat. in Ieremiam. Ex Danielc *Hymnum trium puerorum*, Historiam Susannae, et *Draconis*, qui a Daniele ibidem interfectus fuisse narratur, authoritatem canonicam haud obtinuisse, tradit idem S. Hieronymus praefat. in Danielem. Verum, licet hi libri *Tobiae*, *Iudith*, *Sapientiae*, etc. in Iudaeorum canone non exstiterint, magna nihilominus veneratione dignissimi semper Iudaeis visi sunt, qui fortasse eosdem canoni quoque suo inseruissent, nisi canonem a Synagoga magna tam firmiter obsignatum iterum reserare timuissent.

§. XIII.

Sicut libri veteris testamenti alii erant Proto- alii Deutero-canonici: ita quoque scripta Apostolorum, quae nunc canonicam habent authoritatem, non omnia omni tempore tamquam diuina ab vniuersali Ecclesia agnita sunt. Erant alia, quae absque haesitatione pro libris diuinitus inspiratis fuere recepta, alia iterum, de quorum diuinitate vel quidam Patrum, vel Ecclesiae saltem particulares dubitarunt.

Li-

Libros noui testamenti, qui in omnibus Ecclesiis catholicis, si vnum alterumue eorum versiculum excipias, pro diuinis habebantur, recensemus sequentes: Quatuor Euangelia S. *Matthaei*, *Marci*, *Lucae*, *Ioannis.* Acta Apostolorum, omnes *Epistolas* a S. Paulo exaratas, ea tantum excepta, quae *ad Hebraeos* scripta legitur. Duas epistolas *catholicas*, *Petri* nempe vnam, ac *Ioannis* alteram. Ex quatuor Euangeliis, vt dubias quoque horum librorum partes in medium proferamus, longo tempore quibusdam scrupulum mouit caput vltimum S. Marci; eoquod in eo continerentur aliqua, quae Manichaeismum redolerent, teste S. Hieronymo in epist. ad Hedibiam quaest. 3. Historia de sanguineo Christi sudore, de angelica apparitione et consolatione. Lucae cap. XXII. multos tenebat suspensos, prout narrat idem S. Hieron. lib. II. contra Pelagianos. Historiam adulterae mulieris Ioan. cap. VIII. aliquando non fuisse indubitatae fidei, Erasmus ex Eusebio in huius loci annotatione refert. Versus ille I. Ioannis cap. V. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres vnum sunt*, quibusdam visus fuit dubius, acsi non contineret genuina S. Ioannis verba; rationes dubitandi exhibet citatus Erasmus in huius loci annotationibus. Praeter has partes Ss. Euangeliorum non vbique receptas integrae etiam Apostolorum epistolae in dubium vocabantur. De epistola S. Pauli ad Hebraeos varie sensere veteres. Illorum aliqui eamdem omnino e canone exclusum volebant, alii vero in eo tantum haesere anxii, an Barnabae, an Lucae, an reuera Paulo sit adscribenda? de vtrisque loquitur S. Hieronymus, de illis quidem in epist. ad Paulinum: " Paulus Apostolus ad " septem scribit Ecclesias; Octaua enim ad Hebraeos, a plerisque ex" tra numerum ponitur. " De his tractat in catalogo scriptorum ecclesiasticorum: " Epistola autem, quae fertur ad Hebraeos non eius " (Pauli) creditur propter styli sermonisque distantiam, sed vel Bar" nabae iuxta Tertullianum, vel Lucae Euangelistae iuxta quosdam, " vel Clementis romanae postea Ecclesiae Episcopi, quem aiunt, sen" tentias Pauli proprio ordinasse, et ornasse sermone. " De epistola *Iacobi*, postrema *Petri*, secunda et tertia *Ioannis*, nec non de epistola *Iudae* tale testimonium tradit Eusebius hist. eccles. lib. III. cap. XXV. " Ex iis vero, quae in dubium revocantur, a multis tamen comme-

" mora-

" morari videmus, est epistola, quae dicitur Iacobi, et quae Iudae, " et secunda Petri. Ioannis item altera et tertia, siue illae ab ipso " reuera Euangelista, siue ab altero eiusdem nominis compositae sunt. " Postmodum recenset quosdam partus spurios Actus Pauli, librum Pastoris titulo inscriptum, etc. et demum de *Apocalypsi* ita pergit: "His " adiunge, si lubet, Ioannis reuelationem, quam nonnulli, vt superi- " us dixi, ex albo scripturarum expungunt, alii inter libros omnium " consensu probatos adnumerant. " Eusebio addi etiam potest S. Hieronymus, qui in catalogo de scriptoribus eccles. eamdem sententiam confirmat.

§. XIV.

Equidem circa praedictos tum veteris tum noui testamenti libros dubitatum aliquando est: verum quia iidem magna iam apud alios in aestimatione erant, factum est, vt brevi etiam libri dubii cum illis indubitatae fidei in eumdem catalogum referrentur. Fecerant id tum concilia antiquissimis temporibus celebrata, tum ipsi romanae sedis Antistites suis in decretis.

Concilium laodicenum circa annum Christi CCCLXXII. celebratum praeter XXII. veteris testamenti libros in Iudaeorum canone iam comprehensos recenset insuper libros noui testamenti sequentes: Euangelia secundum *Matthaeum*, *Marcum*, *Lucam*, et *Ioannem*. *Actus Apostolorum*, *Epistolas Pauli* XIV. et VII. *Catholicas*. *Apocalypsin* vero penitus praetermittit. Huius Concilii librorum sacrorum catalogus exinde magnam venerationem meretur, quia confirmationem canonis in Concilio nicaeno editi (cuius fragmenta videri possunt apud S. Hieron. in praefat. ad librum Iudith) continere a plurimis creditur. Anno CCCXCVII. congregabatur Concilium chartaginense III., quod canoni Iudaeorum addidit librum *Tobiae*, *Iudith*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, ac primum et secundum *Machabaeorum*. Nouo testamento praeter

ter libros in Concilio praecedenti laodiceno stabilitos, etiam *Apocalypsin* inseruit. Hunc canonem amplexus est *Innocentius I.* anno Christi CCCCV. in epist. ad Exuperium Episcop. tholosanum. Quartus canon, qui priorem rursus confirmauit, conditus est anno CCCCXCIV. in Concilio *romano I. sub Gelasio* Pontifice, quam vlterius adoptauit Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione concepto. Si quaeras, quomodo haec concilia, et Pontifices libros ex veteri testamento desumtos in Iudaeorum tamen canone numquam contentos pro canonicis declarare potuerint, quum nec Christus nec Apostoli hos libros pro diuinis agnouisse videantur, eoquod numquam adhoc, sicut ad alios in Hebraeorum canone positos libros prouocauerint? Respondeo: nullibi equidem ad istos prouocatum fuisse legimus, attamen silentii huius specialis assignari potest ratio: intendebat tum Christus, tum Apostoli conuincere Iudaeos ex scripturarum testimoniis, hunc vero finem non tam facile assequi potuissent, si arma sua desumere voluissent ex libris, quorum authentia non vniuersim erat satis perspecta. Ad indubitatos ergo ita provocabant, vt tamen nemo exinde inferre queat, Christum et Apostolos reliquos libros ob hoc silentium pro diuinis non habuisse.

§. XV.

Tandem tridentinum Concilium antiquissima traditione motum nouum vtriusque testamenti canonem condidit, conditumque toti Ecclesiae ita sancte custodiendum proposuit, vt illi, qui *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit,* anathema dixerit,

Ne alicui dubitatio suboriri posset, quinam illi libri canonici sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur, sacrorum librorum indicem decreto de canonicis scripturis adscribendum censuit Tridentinum sess. IV. qui huius

huius tenoris est: " Sunt vero infra scripti: testamenti veteris quin-
" que Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deu-
" teronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Para-
" lipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, To-
" bias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium dauidicum centum quinqua-
" ginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum,
" Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel,
" Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Oseas, Ioel, Amos,
" Abdias, Ionas, Michaeas, Nahun, Habacuc, Sophonias, Ag-
" gaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus et secun-
" dus. Testamenti noui quatuor Euangelia secundum Matthaeum,
" Marcum, Lucam, et Ioannem: Actus Apostolorum a Luca Euan-
" gelista conscripti: quatuordecim epistolae Pauli Apostoli ad Romanos,
" duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad
" Collossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad
" Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae, Ioan-
" nis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudae Apostoli vna, et
" Apocalypsis Ioannis Apostoli. " Omnium librorum, quos Triden-
tinum in hac sessione *integros* cum *omnibus suis partibus* recipi mandat, breuem synopsin affert clariss. P. Corbinianus Thomas de sacra scriptura part. I. cap. IV. sequen. in qua operose satis indagat tum in Authores sacrorum librorum, tum in tempus, quo singuli libri fuere conscripti, tum etiam in stylum, seu rationem scribendi, qua quiuis sacer scriptor se ab alio distinquit.

§. XVI.

Postquam tridentinum Concilium tam accurate definiuit, quinam libri inter Catholicos pro canonicis habendi sint, equidem nobis de eorum diuinitate dubium haud superest amplius: verumtamen Lutheri ac Caluini asseclae in diem vsque hodiernum canoni Catholicorum subscribere recusant, exempla nimirum suorum Magistrorum secuti, qui pariter

non alios agnouere libros diuina inſpiratione conſcriptos, quam quos in antiquo Iudaeorum canone reperire fuit, vel de quibus in nouo teſtamento numquam dubitabatur.

Ex veteri itaque teſtamento reiiciunt librum *Tobiae*, *Iudith*, *Baruch*, *Sapientiae*, *Eccleſiaſtici*, nec non primum et ſecundum *Machabaeorum*. Hoc poſt Lutherum claris verbis exprimit Martinus Kemnitius in examine ſeſſ. IV. trident. Concilii, et Caluinus lib. I. inſtit. cap. XII. lib. II. cap. V. lib. III. cap. V. Ex nouo teſtamento Lutherus epiſtolam S. Pauli ad Hebraeos in prologo huius epiſtolae eliminat, nec enim, vt ipſi ſaltem videtur, haec epiſtola Pauli aut alterius Apoſtoli eſſe poteſt, eoquod nonnulla et euangelicae, et apoſtolicae doctrinae contraria in ea inueniantur. Conſentit Luthero et Kemnitius in examine dictae ſeſſionis quartae Concil. trident. Caluinus vero inſtit. lib. I. cap. VIII. §. 216. mitius hac in re iudicium habet, ſolumque dubitandum exiſtimat, num laudata epiſtola Paulo, num alteri Apoſtolo ſit adſcribenda? epiſtolas *Iacobi*, *Iudae*, ſecundam *Petri*, ſecundam et tertiam *Ioannis* proſcribit Lutherus in prologis illarum epiſtolarum, et cum eo Kemnitius ac Centuriatores Magdeburgenſes centuria I. lib. II. cap. IV. omnes vero recipit in ſuum canonem Caluinus. Apocalypſin Lutherus in antiquiore praefatione noui teſtamenti ſicut et Kemnitius neque pro prophetico, neque pro apoſtolico libro agnoſcit; aliud tamen videtur Centuriatoribus, qui hac in re a Luthero deficiunt, ac centur. I. lib. II. cap. IV. cum Caluino aſſerunt, Apocalypſin tamquam librum diuinitus inſpiratum in ſacrarum ſcripturarum canonem recipiendam eſſe. Obiectiones principaliores, quibus authoritas horum librorum impugnatur, affert, et ſimul erudite diſſoluit Melchior Canus de locis theologicis lib. II. cap. X. ee XI. Quae vero ſingulatim ab aduerſariis opponi ſolent, recenſet ac diluit R. P. Thomas ex Charmes in tractat. de prolegomenis diſſert. IV, cap. I. quaeſt. V. art V. §. II. et ſequent.

§. XVII.

§. XVII.

Libri a tridentino Concilio canonici declarati ex origine ſua non in ea lingua erant ſcripti, in qua eosdem exhibet vulgata noſtra, ſed aliqui eorum hebraeo ſermone, alii chaldaice, alii demum graece fuerunt exarati. Has linguas appellamus originarias, et ſcripturam, quae his linguis originariis concepta eſt, fontem vocamus; quoniam ex hoc fonte plurimae omnibus retro ſaeculis dimanarunt verſiones, de quibus mox infra.

Omnes libri, qui in antiquo Iudaeorum canone locum obtinebant, hebraice ſcriptos fuiſſe partim ex eo deſumitur, quod hodie adhuc hebraice legantur in Bibliis, quibus Iudaeornm Synagoga vtitur: partim ex teſtimonio S. Hieronymi, qui in praefationibus libris iſtis praemiſſis idem aſſeuerat. *Pentateuchus* duplex exſtat, vnus *Samaritanus*, litteris antiquis hebraicis a Moyſe: alter *Hebraeus* litteris nimirum chaldaicis, ſeu nouis hebraicis ab Eſdra deſcriptus, vterque autem originalis cenſetur. *Danielis* librum, licet in Iudaeorum canone fuerit, chaldaice tamen conſcriptum fuiſſe S. Hieronymus tradit in praefatione eiusdem. De libris Deutero-canonicis antiqui teſtamenti in citatis praefationibus ita loquitur idem S. Pater in *Tobiam*: " Mirari " non deſino exactionis veſtrae inſtantiam; exigitis enim, vt librum " chaldaeo ſermone conſcriptum ad latinum ſtylum traham. " Librum *Iudith chaldaico ſermone* conſcriptum: librum vero *Sapientiae hebraicum* ſe reperiſſe teſtatur, quod et de libro *Eccleſiaſtici* affirmat. De libris *Machabaeorum* inquit: " Machabaeorum primum librum hebraicum " reperi: ſecundus graecus eſt etc. " Librorum noui teſtamenti idioma breuiter indicat S. Hieronymus praefat. in Euangelia ad Damaſum: " De nouo nunc loquor teſtamento, quod graecum eſſe, non dubium " eſt, excepto Apoſtolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Evangelium " Chriſti hebraicis litteris edidit. " Dum litteras hebraicas S. Pater hic ponat, intelligi debet lingua illo tempore vſitata, Syriaca nimirum ex

chaldaeo et hebraeo idiomate conflata. De epiſtola S. Pauli ad Hebraeos dubitatur,. an graece, an vero in gratiam Hebraeorum hebraice exarata fuerit? quoniam vero eamdem nec S. Hieronymus excipit, nec ab antiquis productum vllibi inueniatur exemplar haebraicum (quale de ſancto Mathaeo ſe vidiſſe atteſtatur S. Hieronymus) ideo non absque ratione illis aſſenſum praebemus, qui et hanc epiſtolam graece conſcriptam affirmant.

§. XVIII.

Textus originalis librorum ſacrorum, qui olim purus exſtabat, num adhuc hodie talis ſit, in vtramque partem acriter diſputatur. Illorum ſententia praeplacet, qui dicunt, fontes tamdiu pro genuinis habendos eſſe, donec corruptionem, quam factam fuiſſe aduerſae ſententiae Patroni contendunt, legitimis quoque argumentis, aut idoneis teſtibus demonſtrauerint.

Libros veteris teſtamenti, qui potiſſima ex parte hebraice ſcripti erant, facilius potuiſſe corrumpi, ex natura ipſius linguae et litterarum hebraicarum forma, facile oſtenditur. Sunt in hac lingua plurimae litterae ſibi admodum ſimiles, quas nonniſi minutiſſimis punctis aut angulis inuicem ſecernimus. Quam facile itaque erit, vt ſagacem etiam ſcribentis oculum minima haec ſubterfugiant? Si in ſcribendo dictantis ad hibeatur ſubſidium, neque ex hoc omne errandi periculum illico ſublatum eſt, quum ſimilitudo ſoni in litteris praeſertim guturalibus audienti aeque facile imponere queat Accedit his omnibus defectus vocalium, quales in veteribus Bibliis nullibi inuenimus, in recentioribus autem defectus iſte per puncta aut exiguas lineolas ſuppletur, vnde ſenſus non aliter, quam ex integro contextu aut traditione a maioribus accepta hauriri poteſt. Haec, ſi bene ponderentur, violentam ſane ſuſpicandi anſam praebent, fontes hebraicos tanto tempore haud potuiſſe ab errore immunes conſeruari. A non paucis etiam Iudaei arguun-

guuntur, quasi ipsi data opera scripturas sacras corrupissent; coniectura illorum exinde suam desumit verisimilitudinem, quod hoc genus hominum in christianam Religionem odio semper plusquam vatiniano feratur. Idem crimen falsi, cuius Iudaei intuitu librorum antiqui testamenti rei accusantur, Haereticis etiam, qui siue aetate Apostolorum siue paulo post Ecclesiam suis turbauerant erroribus, non immerito imputatur: valde namque probabile est, quod et isti nonnumquam textum scripturae in noui testamenti libris contentum, vt falsae, quam proferebant, doctrinae eo magis faueret, corruperint. Attamen haec tanta haud sunt, vt a concepta semel sententia nos recedere cogant: poterat, quod ipsimet haud inuiti admittimus, contingere aliquis error ex amanuensium incuria, hunc vero nec vniuersalem, multo minus substantialem circa res fidei et morum fuisse, summa nos docet reuerentia, quam Iudaei saepe ad superstitionem vsque sacris litteris detulere: profecto, si in aliquorum exemplaria grauior aliquis error irrepsisset, ex collatione aliorum librorum facile detegi atque corrigi potuisset. Prouidentiae quoque diuinae hac in re non modica habenda est ratio, quae teste Roberto Bellarmino de verbo Dei lib. II. cap. II. argument. 5. minime permisisset, vt verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur, praesertim quum Deus ad hunc finem Iudaeos per totum terrarum orbem dispersit, et circumferre eos voluit libros legis, et Prophetarum, vt inimici nostri christianae veritati testimonium praeberent. "Modo, inquit S. Augustinus in Psal. LXXX, nobis seruiunt "Iudaei; tamquam Capsarii nostri sunt: studentibus nobis codicem "portant." Idem testimonium repetit lib. XII. contra Faustum cap. XXIII. Leuiora menda circa genealogias aut annorum computum in fontibus reperta eiusdem integritati tam parum obesse creduntur, quam parum nubeculae hinc inde dispersae soli officiunt. Ceterum etiam alia motiua nobis persuadent, a Iudaeis scripturas sacras haud esse corruptas; siquidem haec corruptio aut interpolatio facta fuisset vel ante tempora Christi et Apostolorum, vel primum post illorum discessum? neutrum bene asseritur: non primum, quoniam nullibi legere est a Christo ob sacrilegam hanc perfidiam reprehensos fuisse Iudaeos, quum tamen leuiora saepius crimina ipsis obiicerentur. Immo Christus Hebraeorum scripturam vt incorruptam approbasse videtur, dum Ioan. cap. V.

v. 39.

v. 39. Iudaeos ad sedulam scripturarum peruolutationem, et ad audiendos e cathedra Moysis docentes ablegauit: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. Super cathedram Moysis sederunt Scribae et Pharisaei: omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, seruate et facite.* Matth. cap. XXIII. v. 2. Prouocarunt saepius tum Christus tum Apostoli ad libros veteris legis; quis autem sibi persuadebit, hos ex fontibus corruptis aquam salientem in vitam aeternam haurire voluisse? Neque secundum credibile est, quod Iudaei post tempora Christi et Apostolorum sacrilegas manus scripturis sacris iniecerint, quum nostris in exemplaribus ipsa testimonia incorrupta legamus, quae Christus et Apostoli ex lege antiqua allegarunt. Si fuisset aliqua ratio, qua permoti Iudaei libros canonicos deprauare tentassent, ea certe et non alia foret, vt clara nimis scripturarum elogia rescinderentur, ex quibus ad oculum demonstratur, Christum esse verum Messiam in lege promissum, qui venerat saluare populum, et destructa Iudaeorum Synagoga sibi nouam acquirere Ecclesiam. At ista loca Iudaeis adeo infensa hodiedum cernuntur; supersunt iidem Prophetarum libri, et vaticinia, ex quibus ad debellandos Iudaeos fortissima arma desumit Ecclesia nostra. Pari modo improbabile censemus, Haereticos noui foederis libros deprauasse, tum quod textus iisdem minus fauentes constanter adhuc retineant exemplaria nostra, tum quod ea aetate codices sacri iam vbique dispersi adulterari haud amplius potuissent, quin illico vel insigniores Ecclesiae, vel doctissimi Christiani hanc fraudem olfecissent, ipsisque Haereticis summe exprobrassent. Esto ergo, quod aliqua exemplaria corruperint, vniuersale tamen argumentum ex hoc deducere nemo audebit. S. Hieronymi aetate fontes certe puros adhuc exstitisse, necessum est; quum ex his versionem suam adornauerit. Si autem tunc exstitere: ergo et nunc integros existere debere iuste contendimus; quoniam summa tum Romanae, tum aliarum Ecclesiarum cura ab illo tempore fuerunt custoditi. Vel ipsi ostendant aduersarii, quo tempore, a quibus, quo in loco haec corruptio interuenerit. Plura in hunc finem argumenta conglomerat Robertus Bellarminus lib. II. de verbo Dei capite primo et seq.

§. XIX.

§. XIX.

Ab initio quidem verbi Dei arcana populo hebraico concredita fuisse, constat ex testimonio Pauli ad Romanos cap. III. v. 2. postquam autem et gentilibus ianua Ecclesiae aperiri coepit, omnesque promiscue ad eam ab Apostolis vocabantur, S. scriptura in varias linguas transferri debuit, vt ex huius lectione non solum ad veri Dei et Messiae agnitionem, sed et Ecclesiae nouiter a Christo erectae ingressum disponerentur. Huiusmodi versiones, quae innumerae recenseri possent, ad tres reducimus classes, quarum prima graecas: latinas altera, tertia vero in lingua vernacula exaratas complectitur.

Ad textum hebraicum, qui omnium reliquarum veteris testamenti versionum origo est, reducimus editiones *Chaldaicam*, quae magis paraphrasis est, *Syriacam*, et *Samaritanam*, de quarum ortu et authoritate fusius tractat Cardinalis Gotti de locis theologicis quaest. III. dub. II. §. IV.

§. XX.

Prima classis, quae sacrarum litterarum graecas versiones exhibet, tot difficultatibus exposita est, vt nullus pro certo dixerit, quot versiones in eadem contineantur. Nos, quum celebriores tantum recensere intendimus, decem versionibus hanc classem absoluimus, quas inter principem locum tenet illa, quam septuaginta interpretes Ptolomaei Philadelphi iussu ediderunt.

Pri-

Primam ex his decem versionibus eamque antiquissimam Robertus Bellarminus ex testimonio Clementis alexandrini lib. I. Stromatum iam ante tempora Alexandri M. incerto authore adornatam adducit, quae vero, posteaquam illa septuaginta interpretum emanauit, primum negligi, postmodum amitti coepit, ita vt hodie vix eiusdem memoria supersit amplius. Sed haec editio a plurimis impugnatur. *Altera*, quae alias primo loco poni solet, illa est, quam iussu Ptolomaei Philadelphi *septuaginta seniores* ediderunt, de qua §. sequent. plura. *Tertio* loco venit translatio testamenti veteris ex hebraica lingua in graecam ab *Aquila* Pontico anno duodecimo Adriani Imperatoris facta. *Quarta* conficiebatur a *Theodotione* commodo Imperante, ex cuius interpretatione Ecclesia Danielem Prophetam legit teste S. Hieron. in eumdem Danielem. *Quintae* authorem habemus *Symmachum*, qui Seueri Augusti tempore sacros libros ex hebraeo in graecum sermonem transtulit. *Sexta* dicitur *Hierecuntina*, nomine non ab Authore, qui latet, sed ab Hierico vrbe accepto, apud quam in quibusdam doliis reperta fuisse traditur. *Septimae* versionis itidem Author nescitur, et generali nomine *Nicopolitana* appellatur, eoquod Nicopoli inuenta fuerit. Ex his versionibus Origenes sua *Tetrapla*, *Hexapla*, et *Octapla* composuit, de quibus mentionem facit Eusebius hist. eccles. lib. VI. cap. XVI. In his nullam nouam versionem ipse attulit, sed anteriores tantum in singulas columnas distinxit, vt vno obtutu conspici, inuicemque conferri sine multo labore valerent. Forma autem erat sequens.

Tetrapla.

In quatuor columnas distinguebantur, et exhibebant versionem.

I.	II.	III.	IV.
Aquilae.	Symmachi.	LXX interpretum.	Theodotionis.

Hexapla.

Duabus columnis fuerunt aucta, in quibus continebatur.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
Textus hebraicus hebraicis litteris scriptus.	Textus hebraicus litteris graecis scriptus.	Versio Aquilae.	Versio Symmachi.	LXX. interpretum versio.	Versio Theodotionis.

Octa-

Octapla.

Octo aut nouem (vnde et *Enneapla* dicta) columnis constabant sub hoc schemate.

I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.
Textus hebraicus litteris hebraicis scriptus.	Textus hebraicus litteris graecis scriptus.	Versio Aquilae	Symmach.	LXX. interpretum.	Theodotionis.	Versio Hierichuntina.	Versio Nicopolitana.	Versio innominata.

Octaua versio *Origenis* est, si tamen in sensu proprio versio dicenda sit, eoquod eamdem non ex hebraico textu adornauerit, sed interpretationem tantum septuaginta Seniorum ita copiose emendauerit, vt ex merito noua versio videri potuerit. Huius emendationis modum ac formam narrat S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam: " vbi quid " minus, inquit, habetur in graeco ab hebraica veritate, Origenes " de translatione Theodotionis addidit, et signum posuit asteriscum, " id est, stellam, quae, quod prius absconditum videbatur, illumi- " net et in medium proferat. Vbi autem, quod in Hebraeo non est, " in graecis codicibus inuenitur, ὀβελον, id est, iacentem posuit virgu- " lam, quam nos latine veru possumus dicere: quo ostenditur, iugu- " landum esse, et confodiendum, quod in authenticis libris non inue- " nitur. " *Nonam* versionem edidit S. *Lucianus* Presbyter et Martyr, qui, quum in recensitas hactenus editiones multa vitia irrepsisse cognosceret, rursum magno labore nouam versionem molitus est, quae sub Constantino Imperatore Nicomediae propria Martyris manu descripta reperiebatur. Robert. Bellarm. lib. II. de verbo Dei cap. V. *Decima* editio *Hesychium* Authorem laudat, quem in Aegypto Episcopum et Martyrem fuisse Eusebius lib. VIII. cap. XIII. tradit: hic interpretationem LXX Seniorum tantum emendauit, atque emendatam Aegypti Ecclesiis tradidit. Mentio nonnumquam occurrit versionis cuiusdam Palaestinae, quae tamen probabilius eadem est cum interpretatione LXX. Seniorum, et tantum aliquorum locorum correctionem adfert. De authoritate harum versionum differit S. Hieronymus praefat. in Paralip. " Alexandria et Aegyptus in septuaginta suis Hesychium laudat Au- " thorem: Constantinopolis vsque Antiochiam Luciani Martyris exem-

 " plaria

" plaria probat: mediae inter has prouinciae Palaestinos codices le-
" gunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulga-
" runt, totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. "

§. XXI.

Versio graeca septuaginta Interpretum, quam principem inter ceteras locum obtinuisse §. praeced. diximus, edita est regnante in Aegypto Ptolomaeo Philadelpho. Hanc septuaginta duo viri ex omnibus tribubus singulariter electi in Insula Pharo Alexandrinae vrbi vicina aggressi, feliciter ad finem deduxerunt. Versio ista, quae non Pentateuchum modo, sed omnes libros, qui tum in canone Iudaeorum erant, continet, olim in rebus fidei et morum diuinae erat authoritatis, et hodie adhuc probabilius pro authentica haberi debet.

Historia versionis huius ex libris Aristaei, Iosephi Iudaei, Philonis, et aliorum sequens eruitur. Ptolomaeus Philadelphus Ptolomaei Lagi filius, postquam Bibliothecam Alexandriae nouiter erectam conquisitis vndique libris ditasset, vt et Iudaeorum libros obtineret, legatione ad Eleazarum tunc summum Pontificem missa, id efflagitauit, vt exemplar sacrorum librorum concederet, atque peritissimos in lingua tam hebraica quam graeca mitteret viros, qui scripturam ex hebraeo in graecum transferrent sermonem. Annuit votis Eleazarus, atque ex singulis tribubus sex elegit, adornandae huic versioni vndequaque aptissimos, qui licet septuaginta duo fuerint, breuitatis tamen et numerandi facilitatis gratia septuaginta in numero rotundo pronuntiantur. Quo praecise anno ante Christi aduentum haec versio confecta fuerit, scriptores ecclesiastici inter se haud conueniunt: S. Chrysostomus homilia V. in Matthaeum numerat ante aduentum Christi centum annos. Theodoretus adstruit CCL. Praefatio romana in versio-

nem

nem graecam septuaginta afferit, nec plus nec minus quam vnum supra trecentos annos fluxisse. Aristaeus, qui antea munus legati obibat, et praesens huic labori fuit, testatur, hoc opus a septuaginta Senioribus Alexandriae in Insula Pharo coeptum ac simul ibidem intra septuaginta duos dies absolutum fuisse. Dubitatur: an hi interpretes singuli singulis cellulis inclusi, an vero in eadem Basilica coniuncti ac inter se conferentes versionem istam perfecerint? Prior sententia Patronum habet Iustinum in oratione exhortatoria ad gentes, vbi sic loquitur: " Haec vobis viri graeci non vt fabulam neque vt con- " fictam historiam renuntiamus, sed qui Alexandriae fuerimus ipsi, ac " vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus, et " ab incolis, qui res patrias a maioribus per manus sibi traditas ac- " ceperunt, audierimus, commemoramus. " Iustino adhaeret Irenaeus lib. III. cap. XXV. Alteram sententiam, quae D. Hieronymi est, et nos tamquam probabiliorem defendimus: sanctus iste Pater in praefat. in Pentateuchum aperte veluti figmentum historiam de cellulis explodit dicens: " Nescio, quis primus author septuaginta cellulas " Alexandriae mendacio suo exstruxerit? " probat autem sententiam suam testimonio Aristaei, qui negotio interfuit, et disertis verbis affirmat, eos simul conferendo singulis diebus vsque ad horam nonam hanc versionem septuaginta duobus diebus absoluisse. Corroborat vlterius assertum argumento negatiuo ex silentio Iosephi Iudaei desumto, qui, quum esset gloriae gentis suae cupidissimus, tamen lib. XXII. antiq. cap. II. narrans hanc totam historiam, cellularum ne meminit quidem. Ad testimonium Iustini respondemus, facile contingere potuisse, vt Iudaei fabulam a se confictam eidem persuaserint, et quasdam ruinas ostendentes cellulas esse dixerint septuaginta intrepretum; magis certe hac in re credendum est Aristaeo, quem testem coaeuum et oculatum nouimus. Nec credas, mirabile amplius haud esse quod LXX. hi viri collatis praeuie suffragiis ita tandem inter se conuenerint. Minime gentium! instar miraculi profecto est, quod tot homines etiam simul conferendo tam breui tempore vnanimi consensu in eamdem sententiam, eademque verba tam accurrate conspirarint. Legatur S. Augustinus lib. II. de doctrina Christi cap. XV. Versionem LXX. interpretum non Pentateuchum tantum sed omnes sacros libros in Iudaeorum canone compre-

hensos exhibuisse, et authoritas docet et simul ratio suadet. Authoritas desumitur ex effato Iustini in dialogo cum Triphone. S. Irenaei lib. III. cap. XXV. Clementis alexandrini lib. I. Stromatum. Ex ratione sequens deducimus argumentum; Ptolomaeus Philadelphus summo studio libros vndique conquirebat, quibus nouiter erectam Bibliothecam ditaret; verosimile itaque haud est, eumdem, qui tam solicite interpretes aduocarat, non curasse reliquos Iudaeorum libros, sed solum Pentateuchum Bibliothecae suae inferre voluisse, quum tamen et libri Prophetici aeque ac Pentateuchus Iudaeis semper in aestimatione fuerint. Apostoli, dum ad libros Prophetarum prouocabant, vsi sunt versione graeca; illorum vero tempore non alia nisi septuaginta interpretum existebat. De authoritate versionis huius saltem quoad capita fidei et morum dubitari vix potest, quod diuina nitatur, quum illam velut opus Spiritus sancti antiqui Patres nobis proponant: " Septua-" ginta interpretum (sunt verba S. Augustini lib. II. de doctrina chri-" stiana cap. XV.) quod ad vetus testamentum attinet, excellit autho-" ritas, qui iam per omnes peritiores Ecclesias tanta praesentia Spiritus " sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. " Hanc authoritatem certo agnouere Apostoli, dum in suis ad gentiles conuersos scriptis vetus laudantes testamentum, frequenter versione septuaginta interpretum vtebantur. Plura sanctorum Patrum huius versionis encomia adducit Bellarminus lib. II. de verbo Dei cap. VI. Maior est difficultas, an septuaginta interpretum versio, quae olim authoritatis diuinae fuit, his etiam temporibus pro authentica habenda sit? sententiam affirmatiuam elegimus tamquam probabiliorem, et sequentibus fundamentis stabilimus. Primo ex modo, quo dicta versio propagata fuit; primi enim Christiani eamdem a Iudaeis Hellenistis acceperunt, vsi eadem fuerunt Apostoli, prouocabant ad eam Patres, vt tum in priuatis suis scriptis, tum et in Conciliis haereses nouiter exortas impugnarent, ac profligarent; legebatur illa publice in Ecclesiis; eademque populis per quinque saecula fuit explicata. Inde est, cur temporum illorum christianos hanc vnam versionem agnouisse: ceteras autem omnes ignorasse D. Augustino visum fuerit. Sic loquitur S. Doctor lib. XVIII. de Ciuitate Dei cap. 43. " Hanc, quae septuaginta est, tamquam sola esset, sic recepit " Ecclesia, eaque vtuntur graeci populi Christani, quorum plerique,

" vtrum

" vtrum alia sit aliqua, ignorant. " Iam ergo temporibus istis dubio procul authenticam fuisse versionem septuaginta Seniorum necessum est, quae saeculis subsequentibus tam facile in rebus ad fidem et mores spectantibus corrumpi haud potuit, quum vtique exemplaria iam in omnibus Ecclesiis summa veneratione asseruarentur. Si menda quaedam in eam tractu temporis irrepserunt, ab his purgata fuit mandato Sixti V. rom. Pontificis, qui conquisitis vndique melioris fidei exemplaribus, et adhibita virorum pietate, graecique sermonis peritia praestantium industria hanc versionem pristino suo nitori restituere modis omnibus laborauit, restitutam solemni decreto anno MDLXXXVI. die 6. Octobris omnibus recipiendam, retinendamque proposuit. Decreti tenor sequens legitur: " Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae " vtilitatem, vt vetus graecum testamentum, iuxta LXX. ita recogni- " tum et expolitum, ab omnibus recipiatur, et retineatur, quo potis- " simum ad latinae vulgatae editiones, veterum sanctorum Patrum in- " telligentiam vtantur, prohibentes, ne quis de hac noua editione " audeat in posterum vel addendo vel demendo aliquid immutare etc. " Vltimo nos mouet ad hanc sententiam tenendam exemplum Ecclesiae graecae, quae semper vsa est, et his etiam temporibus tum in populo docendo, tum in regulandis moribus, tum in fidei dogmatibus definiendis versione hac septuaginta interpretum vtitur. Quis autem in animum suum inducat, Ecclesiam illam, quae tot sanctitate non minus quam doctrina insignes viros nullo non tempore genuit, integram eam, ac inuiolatam scripturam non conseruasse. Obiectiones, quae huic sententiae obstare videntur, eruditissime dissoluit clariss. P. Corbinianus Thomas Theologiae prolegomenalis part. I. cap. XII. §. XV.

§. XXII.

In secunda classe versiones Bibliorum latinas contineri §. XIX. insinuauimus, quarum triplex statuitur Epocha, et quidem prima continet versiones ante S. Hieronymum factas; altera recenset versionem ipsius S. Hieronymi, nec non aliorum

vsque

vsque ad tridentinum Concilium: in tertia demum vulgatam noſtram collocamus, quam Tridentinum authenticam declarauit.

Ante tempora S. Hieronymi plurimas exſtitiſſe verſiones latinas, teſtes omni exceptione maiores habemus tum ipſum S. Hieronymum, qui in praefatione in Ioſue ſequentia habet. "Apud latinos tot ſunt "exemplaria, quod codices, quum vnusquisque pro arbitrio ſuo vel "addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt." Tum et D. Auguſtinum, qui lib. II. de doctrina chriſtiana cap. XI. innumeras fuiſſe latinas verſiones aſſerit: "Qui ex hebraea lingua ſcripturas in graecam verte-"runt linguam, numerari poſſunt; latini autem nullo modo." In tanta verſionum voragine vna ceteris ſupereminuit, quae a S. Auguſtino lib. II. de doct. chriſt. cap. XV. citatur, *Itala* nuncupata: "In "ipſis interpretationibus, inquit, Itala ceteris praefertur; nam eſt "verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiae:" Ab aliis vocatur *vetus*, *communis* et ob vulgarem illius vſum etiam *uulgata* verſio. Quis illius Author fuerit, ignoratur: ab aliquo tamen Apoſtolorum diſcipulo confectam fuiſſe exinde ſuſpicari licet, quod teſte Natali Alexandro hiſt. eccleſ. ſaeculo IV. diſſert. XXXIX. art. 3. antiquiſſima ſit, et in Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus in vſu ſemper exſtiterit, qui vſus in latina ſaltem Eccleſia vsque ad S. Gregorii Magni tempora ſatis conſtanter retentus fuit.

§. XXIII.

Dum S. Hieronymus veterem illam verſionem tanti temporis lapſu deprauatam cerneret, nouam adornauit et quidem libros veteris teſtamenti, aliquibus ſolummodo exceptis, ex textu hebraico in latinum ſermonem transtulit, nouum autem teſtamentum non vertit ex graeco textu in latinum, ſed latinum textum ad graecum tantum emendauit.

"No-

" Nouum testamentum (verba ipsius S. Hieronymi sunt ad " calcem de scriptoribus eccles.) " graecae fidei reddidi; ve- " tus iuxta Hebraicum transtuli.

Quales veteris testamenti libros ex hebraeo in latinum S. Hieronymus transtulerit, indicant praefationes ab eodem singulis libris praemissae, ad quas ipse prouocat in sua epistola, quae inter Augustinianas XI. est: " omnes praefationes diuinorum voluminum, quas " editioni nostrae ex hebraeo in latinum praeposuimus, explicant, " quod interpretationis videlicet genus in scripturis sanctis sequendum " sit. " Ex his verbis regula desumitur, quod eos tantum libros conuerterit, quibus praepositae leguntur eiusdem praefationes: leguntur vero sequentibus: Pentateucho, Iosue, Paralipomenis, Iudicibus, Ruth, libris Regum in prologo Galeato, Esdrae, et Nehemiae, Tobiae, Iudith, Esther, Iob, Psalterio, Prouerbiis, Ecclesiastico, Cantico canticorum, Ezechieli, Danieli, Isaiae, Ieremiae, et duodecim Prophetis minoribus. Quod vero noui testamenti versionem nullam, sed emendationem tantum latini textus ad graecum S. Doctor fecerit, colligitur ex praefatione ad Damasum, quem ita alloquitur: " Nouum opus me facere cogis ex veteri, vt " post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam ar- " biter sedeam, et quia inter se variant, quae sint illa, quae cum " graeca consentiant veritate, decernam etc. "

§. XXIV.

Emendatio latina librorum noui testamenti a S. Hieronymo facta magno plausu illico recepta fuit, ast versio sacrorum librorum antiquae legis ex hebraeo ab eodem confecta multas ab initio experta est difficultates, tempore tamen S. Gregorii Magni promiscue iam adhibebatur.

Non

Non adeo mirum est, emendationi tam felicia obtigisse fata, quoniam eamdem in se suscepit D. Hieronymus hortatu summi Ecclesiae Pastoris Damasi Pontif. in qua nihil noui attulit, sed tantum ea, quae in antiquis latinis exemplaribus mendosa videbantur, integritati restituit: vnde iure merito vtilissimum hunc laborem D. Augnst. epist. X. cap. IV. adeo commendauit: " Non paruas, inquit, Deo gra- " tias agimus de opere tuo, quod Euangelium ex graeco interpre- " tatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, quum scriptu- " ram graecam contulerimus. " Verum longe alia facies erat illius, quam ex hebraeo textu adornauit, versionis; haec, quum in multis dissideret ab ea, quae ex graeca versione LXX. interpretum desumta fuit, et tum temporis in omnibus Ecclesiis legebatur, omnium vix non in se prouocauit indignationem, quam ipse S. Hieronymus probe agnouerat, dum in praefatione in librum Iob amare conquestus est: dicens: " Cogor per singulos diuinae scripturae libros " aduersariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam re- " prehensionem septuaginta interpretum criminantur. " Attamen vehementior ista commotio successu temporis adeo temperata fuit, vt promiscuas tum veteris, quae erat ex translatione septuaginta interpretum, et nouae S. Hieronymi versionis vsus inualuerit. S. Gregorius Magnus communem vtriusque vsum suo iam tempore obtinuisse testatur in epistola ante praefationem in lib. moral. cap. V. " Nouam translatio- " nem dissero, inquit ibidem, sed vt comprobationis causa exigit, " nunc veterem per testimonia assumo: vt quia sedes apostolica, cui " Authore Deo praesideo, vtraque nititur, mei quoque labor studii " ex vtraque fulciatur. " Post tempora B. Gregorii omnes ferme latinae editiones euanuisse videntur praeter vnam istam, quam nunc veterem et vulgatam vocamus, de qua mox infra sermo erit.

§. XXV.

Quamuis post tempora B. Gregorii teste Bellarmino lib. II. de verbo Dei cap. VIII. latinae sacrorum librorum editiones vsque ad vnam euanuisse visae fuerint: tamen saecu-

lis

lis proxime elapsis illa iterum conspiciebatur aetas, in qua omnes, qui aliquam linguarum orientalium notitiam possidere sibi videbantur, nouas adornare versiones latinas continuo moliebantur. Huiusmodi translationes tum a Catholicis, tum ab Heterodoxis fuerunt exaratae.

Versiones Catholicorum praecipuae sequentes sunt: I. versio *Xantis Pagnini* Ord. S. Dominici, quae ab initio quidem magno plausu recepta, postmodum vero a plurimis reprehensa fuit. Edidit vir iste linguarum orientalium peritissimus Biblia sua A. Christi MDXXVII. II. Versio est *Benedicti Ariae Montani*, quae tamen praecedentis correctio magis, quam noua versio dici debet. Hunc laborem in se suscepit iussu Philippi II. Hispaniarum Regis. III. Versio *Thomae de Vio*, seu Cardinalis *Caietani*, de quo testatur Sixtus senens. L. V. Biblioth. " Quod in extrema senectute sua post innumeras lucubrationes totum " vetus ac nouum testamentum iuxta litterae sensum omnium difficilimum " ex hebraica et graeca veritate nudo breuique sermone exposuit, ex- " cepto Cantico canticorum et Prophetis, quos moriens intactos reli- " quit, in ceteros vero diuinae scripturae libros absolutos et inte- " gros reliquit commentarios. " IV. Versio *Francisci Vatabli*, quam ipse non scripsit, sed viua voce discipulis suis promulgauit, inde facile contingere potuit, vt plura male intellecta peius typis mandata fuerint. V. Versio est *Thomae Maluendae* ex hebraeo facta. Ex castris Heterodoxorum sequentes in lucem prodierunt versiones. I. a *Münstero* Fabricata est anno MDXXV. II. est *Oecolampadii* anno MDXXXV. III. *Leonis Iudae*, qui ex Iudaeo factus fuit Zvvinglianus. Huius versio etiam Tigurina dicitur, eoquod Tiguri anno MDXLIV. edita sit. IV. *Sebastianum Castalionem* authorem laudat, lucemque aspexit Basileae anno MDLVI. V. *Iunii* ac *Tremelii* Heidelbergensium Professorum cura conficiebatur, typisque primum Geneuae MDXC. postea Hannoniae data fuit. Plures versiones tum Catholicorum tum Acatholicorum legere est apud Serrarium Prolegom. biblic. cap. XVIII.

§. XXVI.

Ex tot latinis editionibus, quae hoc tempore vbique circumferebantur, vna semper maiori in veneratione, vsuque multorum saeculorum comprobata exstitit, quae vetus et vulgata editio dicebatur; hanc tridentinum Concilium, vt omnem fluctuandi rationem tolleret, pro authentica haberi publico decreto sanciuit.

Decretum sess. IV. hisce terminis conceptum legitur: " Sacrosancta " Synodus considerans, non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiae " Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacro- " rum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, sta- " tuit et declarat, vt haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo " tot saeculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectio- " nibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro " authentica habeatur, et vt nemo illam reiicere, quouis praetextu " audeat vel praesumat etc. " Quum tridentinum Concilium in hoc decreto mentionem tantum faciat latinarum editionum, et inter has vulgatam nostram tamquam authenticam declarauit, optime infertur, idem Concilium nulla ratione quidquam detraxisse authentiae fontium tum hebraicorum tum graecorum inter quos nullam instituit comparationem, prout legenti verba ipsius decreti ad oculum patere debet. Male ergo vulgatam nostram hic fontibus anteferri asserunt Acatholici, quibus ita respondet Bellarminus lib. II. cap. X. de verbo Dei. " Hoc ideo mendacium voco, quod nihil eiusmodi in decreto " legatur. " Nec enim Patres fontium vllam fecerunt mentionem. Fontes itaque post Tridentinum eamdem habebunt authentiam, quam habuere ante illud, quum nec quiddam additum, nihilque in eo fontibus detractum reperiatur. Verum, quum ipsimet §. XVIII. textum originarium saltem quoad fidei et morum capita adhuc purum defendimus, dubium suboriri posset, an non ad fontes saepius recurrendum sit. Si recursus iste huius rei gratia instituatur, vt sensus in vulgata nostra ob hebraismos aut graecismos subinde obscurior clarius innotescat,

hunc

hunc recursum eo facilius admittimus, quo euidentius constat, Ecclesiam nullibi in quodam a se edito decreto eumdem inhibuisse. Alio in sensu Caluinus in Antidoto Concilii tridentini, et Kemnitius in examine eiusdem hunc recursum ad fontes veluti necessarium adstruunt, dum omnia, quae in vulgata nostra continentur, iuxta fontes examinari ac emendari debere contendunt addita ratione, quod magis credendum sit, illud esse verbum Dei, quod habetur in fontibus hebraeorum et graecorum codicum, quam quod habetur in riuulis versionum: nam hebraei et graeci codices Prophetarum et Apostolorum sunt, qui errare non poterant; latini autem sunt variorum interpretum, quorum vtique nullus ab errandi periculo immunis fuit. Absit, vt in hoc sensu cuiquam priuato recursum ad fontes permittamus: maturo satis Consilio Ecclesia nostra vulgatam tamquam fidei et morum regulam nullo sub praetextu reiiciendam proposuit, et hoc ipso omne priuatum examen et emendationem proscripsit. Periculum longe maximum foret, ne quis in mendosos offenderet codices; licet enim genuini probabilius adhuc hodie extent, promiscue tamen haud circumferuntur, aut cuilibet obuii sunt, sed thesauri instar magnis in Bibliothecis summa cum veneratione et cura asseruantur. Ratio, qua nixi sententiam suam fulciunt Caluinus et Kemnitius, tanti momenti certe non est, vt ob hanc suas in partes pertrahere quemquam valeant: habetur (non diffitemur) verbum Dei multo certius in fontibus quam in riuulis, si semel de hoc certi simus, quod fontes ipsos sicuti a Prophetis et Apostolis nobis fuerunt relicti, castigatos habeamus. Quamdiu autem de hoc dubium superest, quale in nostro casu semper superesse debet, versioni illi insistendum erit, quae infallibili Ecclesiae iudicio in rebus fidei et morum ab errore immunis declarata est. Huius authores, quamuis non aeque ac scriptores Hagiographi spiritu sancto pleni fuerint, eos tamen hic et nunc non errasse Ecclesia decidit, maior proin eorum authoritas erit, quam illorum, qui ex mente Caluini munus examinandi et emendandi vulgatam nostram in se susciperent, hi vtique etiam homines sunt, qui falli et fallere possunt, talesque esse perseuerant, nisi forte Caluino et eiusdem asseclis donum hoc peculiare fuisse dicamus, quod ex hominibus fallibilibus creare possint Prophetas et Apostolos diuinitus inspiratos. Quatuor solum casus assignat

Bellarminus lib. II. de verbo Dei cap. XI. in quibus recurrere licet ad fontes hebraicos et graecos. *Primus* est, si in nostris codicibus error librariorum subesse videtur. *Alter*, quando latini codices inter se variant, vt non possit certo statui, quae sit vera vulgata lectio. *Tertio* ad tollendam ambiguitatem ad fontes recurri poterit, quando verba aut sententiae in latina versione vulgata ita dubiae sunt, vt in diuersas partes trahi queant. *Quarto* demum vtiliter recurritur ad energiam et vocabulorum proprietatem intelligendam. Exempla, quae recursum ad fontes in quatuor casibus commendant, allegat idem autcor loco citato.

§. XXVII.

Vulgata nostra a tridentino Concilio non in eo sensu vt authentica approbata est, quasi nulla omnino errata in eadem reperire sit; sed eatenus tantum sacra synodus eam authenticam habere voluit, quod in iis omnibus, quae alicuius momenti sunt, non discrepet a vero scripturae sensu, seu quod idem est, quod non sit corrupta in capitibus, quae aut fidem aut mores spectant.

Leuiora certe menda tum ipsum Tridentinum, tum romani Pontifices in vulgata latere agnouerunt, quum tanto studio in id vnum incubuerint, vt omni adhibito labore vulgata editio accuratissime castigaretur. Eo ipso tempore, quo sacra Synodus suum decretum promulgauit, selectis simul Doctoribus mandauit, vt vulgatae emendationi sedulo incumberent. Emendatio ista finito statim Concilio sub Pio IV. coepta est, quam postmodum continuauit Pius V. Sixtus V. tandemque ad finem feliciter perduxit Clemens VIII. vt patet ex praefatione sixtinis Bibliis praefixa. Quod vero eatenus Tridentinum vulgatam vt authenticam agnouerit, quatenus in ea nihil fidei aut bonis moribus aduersum reperitur, constat partim ex hoc quod adhibuerit vocem *authenticam*, quae ex nativa significatione sua indigitat instrumentum, cui vbique fides debetur: partim etiam, quod prouocauerit

rit ad editionem, *Quae longo tot saeculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est*, consequenter quae *authentiam* semper habuit, licet per nullum solemne decretum publice adhuc proposita fuisset. Vtrumque hunc sensum exsplicat Sixtus Senensis lib. VIII. Bibliothec. vbi fatetur quidem, quod leues defectus et errata in vulgata reperiantur, his tamen non obstantibus eam authenticam esse contendit, quoniam "Certum est (verba ipsius sunt,) neque in noua editione aliquid umquam "inuentum esse, quod fuerit a veritate christianae fidei deuium, fal- "sum ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, "vel praeter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel "in praeiudicium veritatis omissum, vel adeo deprauatum, vt occa- "sionem perniciose errandi attulerit." Loca vulgatae nostrae, quae ex vtriusque testamenti paginis tamquam corrupta consarcinat Kemnitius, recenset, ac a corruptione simul acerrime vindicat saepe laudatus Bellarminus de verbo Dei lib. II. cap. XII. et sequ.

§. XXVIII.

Circa vulgatam editionem, quam post tridentinum vt authenticam veneramur, a multis dubitatur, ex quibus versionibus latinis Originem ducat. Aliqui contendunt, vulgatam nostram esse illam veterem Italam, qua vtebantur Occidentales Ecclesiae ante Hieronymi tempora: alii vice versa eam totam desumtam fuisse autumant tam ex versione veteris testamenti, quam ex hebraeo textu, tum ex emendatione testamenti noui, quam ad graecum textum S. Hieronymus adornauit. Nos media incedimus via, eamque mixtam defendimus, tum ex veteri Itala, tum versione S. Hieronymi.

Libri veteris testamenti, paucis exceptis, non ex veteri Itala, sed ex versione S. Hieronymi habentur; versio illa, quae ante S. Hieronymum

nymum obtinuit, et Itala dicebatur, facta est ex graeca versione LXX. interpretum, nostrum autem vetus testamentum ad hanc graecam versionem originem suam referre nequit, quum ab eadem saepius discrepet, magisque innuat ob tot hebraismos inibi contentos se descendere ex quadam versione a textu hebraeo deriuata. Talis autem versionis non tantum S. Hieronymus author laudatur, sed insuper versio ipsius vbique in Ecclesiis recepta dicitur ab Isidoro lib. VI. Etymol. cap. V. " S. Hieronymi editione omnes Ecclesiae vsquequa- " que vtuntur. " Simile testimonium exstat apud Hugonem Victorinum lib. de script. cap. IX. *Psalterium*, quod vulgata nostra exhibet, non est ex versione S. Hieronymi, a qua, prout inter eius opera legitur, fere vbique dissentit. Item nec libri *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, et *Machabaeorum*, quos S. Doctor numquam ex hebraeo in latinum transtulit, ex eius versione, sed potius ex veteri Itala desumti fuisse creduntur. Integrum nouum testamentum, prout in vulgata nostra continetur, est ex antiqua versione, quam beatus Hieronymus ad textum graecum emendauit. Probat id Bellarminus ex duplici potissimum fundamento, primum est, quod multa loca, quae sanctus Pater reprehendit in antiqua versione, in nostra ita inueniantur correcta: sicut ipse expresserat corrigenda. Si reponas: esse adhuc plura in nostra vulgata, quae S. Hieronymus emendanda duxerat, et tamen emendata non leguntur. Respondeo, eumdem non omnia actu mutasse, quae mutanda censebat, ne scilicet plurium, qui antiquae versioni erant assueti, animum offenderet: id propriis eiusdem verbis ex praefat. ad Damasum confirmari potest: " Ita calamo tem- " peranimus, inquit, vt his tantum, quae sensum videbantur immuta- " re, correctis, reliqua remanere pateremur, ut fuerant. " Alterum, quod nos mouet, fundamentum est, quod emendatio a S. Hieronymo iussu Damasi Pontificis facta a primordio statim ingenti plausu ab Ecclesia recepta longoque usu comprobata fuerit, a quo certe nec tridentinum in suo decreto recessisse praesumi debet.

§. XXIX.

§. XXIX.

Vix erit in Europa Regio, quae peculiari idiomate vtitur, cui non simul primas semper inter curas fuerit, sacras litteras in suam quoque transferre linguam. Has versiones quocumque idiomate praeter hebraicum, graecum et latinum editas, vernaculas appellitamus, tertiamque classem versionum, quarum §. XIX. meminimus, absoluunt. Versiones istas ad controuersias fidei, et morum decidendas adhiberi non posse, cuiuis perspicuum erit, qui ipsarum originem, quam vnice priuatorum studio debent, perpenderit.

Non unam tantum quodlibet regnum aut Prouincia versionem in lingua sibi vsitata exaratam ostendit, sed plurimae atque inter se valde diuersae saepe saepius circumferuntur, prout nempe munus huiusmodi versiones excudendi sibi arrogarunt homines diuersis, et e diametro non numquam oppositis religionibus addicti: exemplo esse potest Germania nostra, quae, si ulla regio, certe haec versionibus vulgaribus tum a catholicis tum ab acatholicis adornatis abundat. Numeramus ex parte Catholicorum versionem *Emseri*, quam singulariter commendat Cochlaeus in act. adu. Lutherum: " Quod non solum notaverit ac populo " ediderit Lutheri errata in translatione, verum etiam propriam trans- " lationem, quae probato et recepto Ecclesiae textui latino per omnia " consonaret, velut antithodum contra Lutheri venena euulgauerit, " non sine grandi Catholici populi consolatione etc. " Item *Ioan. Eckii* fortissimi illius contra Lutherum pugilis. *Ioan. Dietenbergii* et aliorum. Versionum ab Acatholicis factarum agmen ducit Lutherus, de cuius translatione Georgius Serenissimus Saxoniae Dux ad Regem Angliae haec scribit: " Scripturam suo commodo translatam ad sua dog- " mata confirmanda detorquet etc. " Hanc Lutheri S. Litterarum versionem plures aliae insequebantur, quibus recensendis longius immorari nolumus, videri illae possunt apud citatum clariss. P. Corbinianum Thomas Proleg. part. I. cap. XIII. de versionibus vernaculis. De authori-

thoritate, quam recensitae versiones habent, res plana est; edebantur illae studio priuato, nec Ecclesia vmquam earumdem examen suscepit multo minus vllo in loco tamquam authenticas declarauit, igitur maior fides eisdem haud debetur; quam qualem illarum author pro eruditione, qua praefulgebat, promeritus fuerit.

§. XXX.

Quum Bibliis in lingua vernacula exaratis nulla legalis authoritas insit, facileque contingere posset, vt imprudens lector non verba salutis, sed aquam turbidam potius ex his lacunis hauriret: prouide egit tridentinum Concilium in regula quarta indicis librorum prohibitorum ipsius iussu editi, prohibendo promiscuam Bibliorum in lingua vulgari lectionem, quin exinde concludi valeat, Ecclesiam in hoc concilio congregatam fidelibus suis verbum vitae, et panem animae abstulisse.

Laudata regula quarta indicis his terminis concepta legitur: "Quum "experimento manifestum sit, si sacra Biblia in vulgari lingua passim "sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, de"trimenti, quam vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi, aut "inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi vel confessarii Bibliorum "a catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis con"cedere possint, quos intellexerunt ex eiusmodi lectione non dam"num, sed fidei, atque pietatis argumentum capere posse, quam "facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque ea facultate ea "legere seu habere praesumserit, nisi prius Bibliis ordinario redditis, "peccatorum absolutionem percipere non possit." Contra hoc decretum vehementer insurgunt Caluinus, Kemnitius aliique, quorum doctrinae valde repugnat: volunt enim hi Nouatores, teste Iuenin dissert. IV. de locis theologicis cap. VII. art. VI. §. V. "Scripturarum lectio-

"nem

" nem cunctis hominibus communem fieri debere: nullos quantumuis
" imperitos ab eorum lectione arcendos, aut deterrendos esse, sed
" excitandos potius ad eas saepe et diligenter legendas, idque non
" modo, si concessa a Praelatis copia legendi fuerit, sed etiam quan-
" tumuis illi ordinarii et Confessores prohibuerint." Verum, ante-
quam zelotes isti in generatione sua sat fortes legem tam inuiolabiliter
seruandam cunctis fidelibus imponere ausint, praevie debuissent osten-
dere aliquod mandatum in Iure diuino expressum, quod omnibus indis-
criminatim litteras addiscere praecipit, vt hac conditione veluti neces-
sario praerequisita instructi tum demum et legere valeant. Quamdiu si-
mile mandatum non exhibuerint, strenue semper decreto a tridentina
Synodo edito insistemus, quum illud et specialis ratio commendet, et
salus saepe exigat multorum. Lectio in hac regula neque interdicitur
omnibus, neque regula omnes scripturas in quacumque lingua exaratas
a legentibus arcet. sermo ibi est de Bibliis in vulgari lingua editis, fon-
tes itaque, ac versiones latinae tuto legi possunt ab iis, qui harum
linguarum scientia praediti sunt. Immo nec lectio illarum versionum,
quae in lingua vernacula circumferuntur, omnibus inhibetur, sed iis
tantum, qui iudicio pastoris plus damni quam vtilitatis ex hac lectio-
ne referrent: continentur in libris sacris altissima mysteria aliaque in-
tellectu difficillima, ex quorum lectione simpliciores multum detrimen-
ti experientia teste, ad quam citata regula prouocat, caperent: fo-
ret aliis lectio horum locorum occasio superbiae, aliis causa pusillanimi-
tatis, aliis non raro lapis offensionis et petra scandali. Periculum, quod
legentibus accederet, augetur vlterius ex qualitate editionum, quum
vix vlla sententia sit, quae non ad errores suos stabiliendos peculia-
rem sibi fabricauit versionem, cuius naeuos priuatus aliquis, in cu-
ius forte manum deuenerit, non tam facile deteget, multo minus sa-
tis caute euitabit. Voluit itaque Ecclesia, vt fideles hac etiam in
parte securi incederent, et aliis non vterentur versionibus, quam quae
foetus authorum catholicorum essent. Ecclesiarum Pastores huic de-
creto insistentes fidelibus verbum vitae auferre, merum mendacium est.
Habent isti codicem Euangeliorum, quem legant: habent suos pasto-
res, qui in exponendo Dei verbo assidui sunt: habent et alios libros,
qui ad omnem pietatem compositi, morum vitaeque sanctitatem instillant;
In

Bayerische Staatsbibliothek München

In his euoluendis tempus a negotiis residuum consumant, et aeque docti euadent ac illi, qui diu noctuque in cathedra pestilentiae sedentes huic vnice intenti sunt, quomodo per confictas aut contortas saltem verbi Dei expositiones sibi aliisque viam veritatis praecludant. Profecto non ad singulos Christus dixit: *Qui vos audit, me audit etc.* sed praerogativa haec pastoribus solum propria est, ouium vero illud erit officium, vt Pastoris et Ecclesiae vocem audiant, quam si non audierint, sicut Ethnicos et Publicanos haberi eos decet.

§. XXXI.

Scriptura sacra, cuius authoritatem tum in fontibus, tum in variis editionibus hucusque indagauimus, Iuris candidato esse debet tamquam promptuarium, vnde proferat fortissima argumenta ad stabiliendas conclusiones circa res morum et disciplinam ecclesiasticam a se deductas. Necessarium proinde est, vt in genuinum sacrarum literarum inquirat sensum, quem duplicem in iis potissimum deprehendet, *litteralem* nimirum alterum, qui etiam *historicus* dicitur, alterum vero *mysticum* seu *spiritualem.*

Sensus *litteralis* ille est, quem verba siue proprie, siue metaphorice accepta immediate significant e. g. Genesis cap. XVI. narratur *Abraham* duxisse ancillam suam *Agar*, atque ex ea genuisse *Ismaelem.* In hoc textu factum historicum sensum litteralem constituit. Sensus *mysticus* est, qui non verbis ipsis, sed rebus, quas verba significant, immediate indicatur: sic datum exemplum de Abrahamo et Agar eorumque filio interpretatur Apostolus ad Galathas cap. IV. de veteri testamento, quod in monte Sina traditum in seruitutem generabat. *Scriptum est*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla, et vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem, --- haec enim sunt duo testamenta. Vnum quidem*

dem in monte Sina, in seruitutem generans: quae est Agar etc. Sensus hic mysticus latet sub litterali velut anima in corpore, dicente S. Gregorio Magno lib. IV. in lib. I. Reg. cap. IV. " Littera corpus est, huius " vero corporis vita Spiritus, " id est, sensus spiritualis seu mysticus. Vterque hic sensus a Spiritu sancto in scripturis sacris intenditur. Praeter hos est et alius sensus, qui dicitur accommodatitius, quem nec mediate nec immediate Spiritus sanctus intendit: in quo tantum ea, quae in sensu litterali aut mystico dicebantur, vel ab Ecclesia vel ab homine exponuntur de aliis rebus aut personis ob aliquam similitudinem, quam res in sacris litteris contentae cum illis habent, quibus verba scripturarum applicantur. E. g. de Noe legitur Ecclesiastici cap. XLIV. *Inuentus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio.* Quem integrum textum Ecclesia attribuit confessoribus Pontificibus. Licet autem hic sensus, si fiat iuxta conditiones a tridentino Concilio sess. IV. in decreto de editione et vsu sacrorum librorum praescriptas, minime reprobari debeat, tamen ad eliciendam firmam ex eo conclusionem Iuris candidato haud deseruiet; eoquod non sit sensus Spiritus S. in scripturis diuinis loquentis, sed saepe hominis tantum, verba scripturarum aliis rebus applicantis.

§. XXXII.

Quum verba in scriptura sacra vel proprie, vel improprie accipi queant, duplex quoque nascitur sensus litteralis, alius *simplex*: *figuratus* alius. Simplex erit, si verba in natiua sua significatione, prout tamen cum aliis cohaerent, sumuntur. E. g. Christus est *Homo*, *Filius Dei* etc. Figuratus resultat, si aliud dicitur verbis, et aliud a loquente intenditur. E. g. si Christus dicitur *Vitis*, *Leo*, *Agnus* etc. vbi per ista quidem verba animalia exprimuntur, loquens vero intendit, Christi foecunditatem, fortitudinem ac mansuetudinem commendare.

Circa sensum litteralem eruendum maxime desudare debet Iuris sacri Studiosus; hic enim, quum a Spiritu sancto immediate intentus sit, inuictissima semper suppeditabit argumenta ad conclusiones firmandas. Ne vero diu anxium haerere oporteat in eo, an verba scripturarum proprie, an figurate sint accipienda, sequens traditur regula: Quamdiu nulla inuenitur repugnantia vel nullum sequitur absurdum, aut aliud inconueniens, tamdiu verba sumenda sunt in sensu simplici et proprio. Hanc regulam exsplicat sanctus Augustinus lib. III. de doctr. christ. cap. X. inquiens: "Quidquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Quidquid ergo asperum et quasi saeuum factu dictuque in sacra scriptura legitur ex persona Dei vel Sanctorum eius, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quae etiam quasi flagitiosa imperitis videntur, siue tantum dicta, siue etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt, quorum ad charitatis pastum enucleanda secreta sunt." Plura huc pertinentia legere est apud eumdem S. Patrem libro citato cap. XXX.

§. XXXIII.

Sensus mysticus est, si non verbis, sed rebus per verba significatis immediate aliquid indicatur: potest autem per res illas indicari quidpiam, quod ad morum instructionem et ad agendum pertinet, et resultat sensus mysticus *moralis*. Si eaedem res sese referant ad Christum aut ad Ecclesiam militantem in terris rerumque credendarum normam praescribant, nascitur sensus *allegoricus*. Quodsi vero spem nostram erigant ad coelestem patriam, seu Ecclesiam triumphantem, sensus *anagogicus* subesse intelligitur.

Triplex

Triplex itaque sensus est mysticus, quem vna cum litterali apte exprimunt noti illi versiculi:

Littera gesta docet; quid credas *Allegoria*;
Moralis quid agas; quo tendas *Anagogia*.

Exemplum omnium horum sensuum in vna voce *Ierusalem* habemus, quae *litteraliter* significat vrbem Palestinae principalem; *Allegorice* Ecclesiam, *Tropologice* seu in sensu *morali* animam hominis, *Anagogice* patriam coelestem. Quamuis sensus etiam mysticus a sancto Spiritu intentus sit, si tamen Ecclesiae aut ipsarum scripturarum authoritate non nitatur, validum ex eo argumentum non deducitur: teste enim S. Augustino imprudentissime quis nititur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura. Talia autem testimonia desumimus ab Ecclesiae expositione vel a scripturarum authoritate, quae saepe ipsa sensum mysticum veluti in cortice littera latentem nobis recludit. Exemplo sit locus Deuter. cap. XXV. *Non alligabis os boui trituranti.* Cuius sensum mysticum refert S. Paulus I. ad Corinth. cap. IX. v. 9. *Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique haec dicit? nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* vbi pluribus adhuc pergit, vt ex sensu mystico probet, ministris Euangelii debita esse sua stipendia. Speciales regulas pro eruendis singulis sensibus modo recensitis exhibet clariss. P. Corbinianus Thomas Proleg. part. I. cap. XV. per totum.

§. XXXIV.

Quamquam Iuris canonici Candidatus omni studio eo contendere debet, vt genuinum scripturae sacrae sensum inueniat: viribus tamen suis ne nimium fidat, tridentinum Concilium hoc solo iam satis indicauit, quod grauissimis

poenis

poenis subiicere non dubitauerit, qui suae prudentiae innixus. " In rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae " christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et " tenet sancta mater Ecclesia, cuius iudicare de vero sensu " et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram " interpretari audet, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo " umquam tempore in lucem edendae forent " sess. IV. de editione et vsu sacrorum librorum.

§. XXXV.

Facile inter se conueniunt Catholici, vt iuxta ductum praelaudatae Synodi tridentinae Ecclesiam statuant legitimum scripturarum sacrarum interpretem. Verum longe aliter sentit Lutherus cum suis sequacibus, qui contendit, aut scripturam sacram aliunde satis claram esse proindeque nullo indigere interprete, aut si hinc inde obscurior videatur, satis clare aliis in locis sese exsplicare, vel demum, si quis interpres necessario admitti debeat, illum certe non Ecclesiam, sed cuiuslibet hominis spiritum priuatum fore, qui in causa salutis aeternae longe melius, ac quaecumque Ecclesiae Concilia interpretis munere fungatur.

Quid Lutherus de romano Pontifice, nec non de conciliis Ecclesiae senserit, egregium, si Superis placet, testimonium exhibet art. CXV. ex illis quingentis, quos Cochlaeus collegit " Capite hoc Euange-" lium, inquit ibidem, quia neque Papae, neque conciliis, neque

" vll

" vlli hominum commissum est, vt constituat et concludat, quid sit fi-
" des. Ideo debeo tibi dicere: Papa tu conclusisti cum conciliis:
" nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, nec ne. Quare?
" quia non stabis pro me, quando debeo mori. Et falsam doctrinam
" nemo iudicare potest, nisi spiritualis homo. Ideo res est insana,
" quod Concilia concludere et statuere velint, quid credendum sit
" quum saepe nullus vir sit ibi, qui diuinum spritum vel modicum ol-
" fecerit." Plura alia insani huius dicteria leguntur apud Gretscherum Tom. VIII. lib. III. cap. III. Verum, postquam Lutherus tam temere sacrarum litterarum interpretem, quem catholici ad vnum omnes audiunt, reiicit, ille examini adstruendus est, quem ipse adstruit; primo in praefatione assertionis Articulorum a Leone Pontfice damnatorum ita loquitur: " Scriptura ipsa per se certissima, facillima, aper-
" tissima sui ipsius interpres omnium omnia probans, iudicans et illu-
" minans." Scriptura itaque in ipsius sensu adeo clara esset, vt cuiuis legenti altissima etiam primo mox intuitu panderet mysteria. Sed quam turpiter et decipit et decipitur hic Pseudo-Apostolus! legebat Psalmista sacras litteras, et intelligentiae lumen supplex a Deo petiit Psal. CXVIII. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua etc.* Quid ergo obstitit, quod Dauid cum aliis innumeris summam senserit difficultatem in intelligendis alloquiis diuinis? Respondet Brentius in proleg. contra Petrum a Sotto effugio tertio, quod obscuritas subinde proueniat propter Phrases immixtas alienae linguae, sensus autem in ea semper maneat clarissimus. Belum effugium! Nouerat certe Dauid scripturam totam, nouerat et Phrases linguae hebraicae, neque in hac lingua peregrini erant discipuli Christi, quibus ipse Luc. cap. ult. sacras scripturas interpretatus legitur, et nihilominus singulari expositione, et speciali Spiritus sancti lumine opus habebant, ex quo sane dignoscimus, Phrases linguae hebraicae aut Graecae obscuritatis causam non esse. Neque melioris notae est alterum effugium a Luthero excogitatum, quod scriptura, etiamsi alicubi sit obscura, tamen illud ipsum clare exponat alibi: legebat Actorum cap. VIII. Eunuchus Reginae Candacis Isaiam Prophetam, et ingenue fassus est, se non posse sine interprete procedere; interrogatus enim a Philippo: *Putasne, intelligis, que legis?* eidem

dem reposuit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* S. Petrus in secunda sua epistola cap. III. v. 16. de epistolis Paulinis affirmare non dubitat, quod in iis sint *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles deprauant, sicut et ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Hoc periculum scripturas deprauandi procul dubio cessaret, si ea, quae in vno loco intellectu difficilia sunt, in alio clarius exponerentur. Praeclusis his omnibus effugiis Lutherus, Philippus Melanchton, Caluinus, Kemnitius, ac Brentius toti in eo sunt, vt cuiuslibet hominis spiritum priuatum infallibilem verbi Dei interpretem statuant. Brentius tum in confessione VVittenbergica, tum in prolegomenis contra Petrum a Sotto hunc in modum mentem suam exsplicat: "Non licet in causa aeternae salutis alienae sententiae ita inhaerere, "vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur: ad vnumquemque "enim hominum pertinet, de doctrina religionis iudicare, et veram "a falsa internoscere." Verum probemus hunc spiritum, vtrum ex Deo sit, nec ne? Si ex Deo est, constans sibique semper similis erit, quia est Spiritus veritatis, quae omni tempore eadem, atque simplicissima inuenitur. Si ex Deo non est, sibi ipsi contrarius erit, et tot in dies noua procudet dogmata, quot capita hoc spiritu in se adeo diuiso praedita numerantur. Inconstantiam huius spiritus prodit Lutherus ipse, dum in libro de coena Domini longo sermone enarrat torsiones illorum verborum: *Hoc est Corpus meum.* Quae aliter torquet Carlstadius, aliter torturae subiicit Oecolampadius, alii demum iterum aliter excarnificant, vt tot e diametro sibi oppositae resultent sententiae, vt nouo sane quis indigeret spiritu, qui doceret, cuinam parti inhaerendum esset. Num hic ille Spiritus veritatis? Contrarium me hercle res ipsa palam loquitur, eumque spiritum mendacem esse in ore omnium istorum Pseudo-Prophetarum luce meridiana clarius ostendit. Si spiritus priuatus legitimus scripturae interpres a Deo datus esset, vel resideret penes omnes, vel penes aliquos tantum? Si penes omnes, cur Christus quosdam dedit *Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores et Doctores?* ad Ephes. cap. IV. ve. 11. Cur Lutherus Patribus in conciliis congregatis hunc spiritum abnegat, eorumque authoritatem contemnit? Cur denique nos Catholicos ex eodem spiritu euangelicam veritatem hausisse

ſiſſe non credunt? ſi vero penes paucos tantum reſidere fingant, quaeſo, quinam iſti? an boni tantum? ſed quis eſt ille? et laudabimus eum. An ſoli praedeſtinati? verum quis nouit ſenſum Domini, aut iudicia eius quis perſcrutatus eſt? an humiliter petentes, de quibus Iacobus loquitur cap. I. v. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* At cuius humilitas adeo probata eſt, vt certo ſe exaudiendum confidere valeat? dicit in eadem epiſtola Iacobus cap. IV. v. 3. *Petitis, et non accipitis, eoquod male petitis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Illorum dementiam, qui ad hunc ſpiritum priuatum prouocant, argumento ad hominem perſtringit S. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. VII. " Quum " legerem, per me ipſum cognoui, itane eſt? nulla imbutus poeti- " ca diſciplina ſine Magiſtro Poetam atingere non auderes, ſed duces " innumerabiles requiruntur, vt quilibet Poeta poſſit intelligi etc. et " tu in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant ſancti, diuinarum- " que rerum pleni, ſine duce irruis, et de his ſine praeceptore audes " ferre ſententiam? " Penſatis hunc in modum labilibus iſtis fundamentis optime ſe acturum ſciat Iuris candidatus, ſi relictis huiuscemodi figmentis in dubiis ſaepe occurrentibus illum audierit interpretem, quem Chriſtus in fide confirmauit, pro quo, ne in fide umquam deficeret, efficaciter etiam rogauit, ſi confugerit ad Eccleſiam illam veritatis columnam, quam Chriſtus humiliter audiendam praecepit, ni quis eidem reſiſtens haberi velit pro Ethnico et Publicano. Hunc interpretem omnis retro commendat antiquitas, vno ore depraedicant Ss. Patres, quorum teſtimonia fuſe adducit Bellarminus lib. III. de verbi Dei interpretatione per totum, vbi et Aduerſariorum argumenta fortiter propellit.

§. XXXVI.

Licet libri veteris non minus, quam noui teſtamenti verbum Dei nobis manifeſtent: cauendum tamen erit Iuris ſacri ſtudioſo, ne indiſcriminatim ex vtroque foedere ſua argumenta depromat; quum plurima, quae in illo ad ſtatum

Reipublicae iudaicae ordinandum tum ad ritus incultu diuino determinandos erant praecepta, in hac sint abolita. Caute ergo, vt firma ipsius sit conclusio, distinguat, necesse est, quid antiquatum, quid vero nostro etiam aeuo obligatorium ex veteri lege remanserit.

Triplicis generis in lege veteri exstitisse praecepta, *moralia* nimirum, *ceremonialia*, ac *iudicialia* dissert. I. §. XX. iam insinuauimus. Ex his aliqua vim obligandi amisisse, alia vero eamdem retinuisse, ibidem probatum fuit; in praesenti id tantum prioribus superaddendum est, quod Ecclesia nonnumquam ritus Iudaeorum susceperit, illos nimirum, qui cum lege noua nullam habent repugnantiam, sed vnice tendunt ad cultum diuinum externe decentius peragendum, ad splendorem Ecclesiae conseruandum, maiestatemque officii diuini commendandam etc. quae omnia licet ex Iure diuino veteris testamenti desumta sint, in nostra tamen Ecclesia haud aliter obligant, quam ex Iure mere humano, nisi harum legum innouatio ab ipso Christo facta aut ex scriptura nouae legis aut traditione probari valeat. His ita praemissis inferimus, infirmum quidem esse argumentum, quod ducitur a Iure diuino tam iudiciali quam ceremoniali antiquae legis ad Ius diuinum in noua lege, si scripturarum et traditionis desit authoritas: propterea tamen non semper ineptum dixero; nam si eadem aut maior adhuc pugnat ratio pro lege noua, quam obtinuit pro testamento veteri, bene ab hoc ad illam argumentaberis. Ita communiter Catholici a priuilegio fori ac immunitatis sacerdotum in antiqua lege ad immunitatem Clericorum in lege noua non inepte argumentantur.

CA-

CAPVT III.

DE TRADITIONE ALTERO IVRIS CANONICI FONTE ORIGINARIO.

§. XXXVII.

Traditum in latiſſima acceptione omne illud dici poteſt, quod ſiue litteris, ſiue voce in materia tam ſacra quam profana alteri communicatum fuit. Strictiori in ſenſu hic traditionem pro doctrina viua voce quaſi de aure ad aurem tradita fidem vel mores, vel diſciplinam eccleſiaſticam concernente accipimus, eamque iuxta hanc ſignificationem ita deſcribimus: Quod ſit doctrina fidem, aut mores, aut diſciplinam eccleſiaſticam concernens viuae vocis oraculo vel ab Authore Chriſto vel ex inſtitutione ſeu Apoſtolorum, ſeu Eccleſiae accepta, continua obſeruantia ad poſteros propagata, et in fide dignis monumentis ad noſtra vsque tempora quam fideliſſime conſeruata. Alii breuius traditionem definiunt, dicendo: eam eſſe doctrinae ſacrae atque vetuſtae ab idoneo authore verbis acceptae ad alios, aliosque continuatam propagationem.

Priori deſcriptioni nos inſiſtimus, eamque breuiter exponimus. Dictur *doctrina viuae vocis oraculo accepta*, vt diſtinguatur a verbo Dei ſcripto: quod aeque eſt doctrina, ſed ab origine ſtatim litteris conſignata, et quidem ab hominibus ad id munus ſpecialiter a Spiritu ſancto electis et inſpiratis ſcripta. *Concernens fidem, aut mores aut diſciplinam*

plinam ecclesiasticam: quibus vocabulis indicatur obiectum traditionum, cuius intuitu tum a Theologia tum a Iure canonico attenduntur. Verba illa: *Ab Authore Christo vel ex institutione seu Apostolorum seu Ecclesiae etc.* originem, progressum simul et traditionum varietatem exsplicant. Quae in fine adduntur: *In fide dignis monumentis ad nostra vsque tempora quam fidelissime conseruata*, partim innuunt traditionum perpetuitatem, partim significant earumdem propagationem. Licet enim ab initio oretenus tantum propagatae fuerint, successu tamen temporis annotari coeperunt ab illis et sanctitate et doctrina celebratissimis viris, quos iure merito Patrum titulo veneratur Ecclesia, ad quos etiam tamquam fidelissimos traditionum sacrarum depositarios toties recurrere solet, quoties ex solo verbo Dei scripto controuersia circa fidem aut mores agitata decidi nequit. Exinde vero, quod traditiones in voluminibus Patrum hodie scriptae legantur, non exuunt traditionis naturam, haud secus, ac consuetudo, quae, si ab initio talis sit, quamuis postmodum litteris consignetur, consuetudo nihilominus semper manet. Sic e. g. consuetudines feudales nec ab eo tempore, quo corpori Iuris ciuilis insertae sunt, consuetudines esse desierunt; quia non, quid postmodum factum, sed quae sit rei cuiuslibet origo, attenditur. Ex hac definitione erui quoque potest discrimen inter *traditionem*, et *consuetudines*, *antiquos mores*, et *obseruantiam*. Traditio oritur ab expressa Superioris voluntate, qui non tantum potuit, sed voluit etiam obligationem imponere et quidem nouam ab alia lege prorsus distinctam. Consuetudo autem praeter actus populi nullum inuoluit Superioris consensum expressum, sed tacitum solummodo, aut generaliter saltem in legibus contentum. Antiqui mores nec Superioris consensum, nec obligationem inducunt; quia sunt consuetudines tantum improprie dictae citra vllam obligationem ex deuotione, pietate, aut decoro in Ecclesia assumtae vsuque confirmatae. Obseruantia nullam omnino nouam parit obligationem, sed est continuatus vsus illius, quod iam antecedenter lege, consuetudine vel moribus introductum fuit.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Quum traditiones omnes vel ab authore Chriſto, vel ex inſtitutione Apoſtolorum aut Eccleſiae habeamus, illico manifeſta fit traditionum diuiſio ab earumdem origine deſumta in *diuinam*, *apoſtolicam*, et *eccleſiaſticam*.

Traditio diuina eſt ipſum verbum Dei non ſcriptum, ſed ab Apoſtolis, quatenus verbi Dei praecones erant, ad nos viua voce transmiſſum: dicuntur a multis traditiones diuino-apoſtolicae, eoquod ad Deum tamquam Authorem ſeſe referant, Apoſtolos vero praecones ac propagatores agnoſcant. *Traditionis apoſtolicae* nomine intelligitur doctrina, quam Apoſtoli ipſi tamquam paſtores Eccleſiarum fidelibus oretenus propoſuerunt, a quibus ad poſteros et ab his demum ad nos propagata fuit. *Traditio eccleſiaſtica* dicitur, quae ab Eccleſia vel ab iis, qui Eccleſiae praeſunt ſummis nimirum Pontificibus ac Epiſcopis originem habet. Vlterius ab obiecto alia *traditio fidei* audit, quae intellectum in recta cognitione myſteriorum diuinorum ac in rebus credendis inſtruit. Alia *traditio morum* et *diſciplinae*, quae aut regulas agendi praeſcribit, aut fidelium voluntates in operationibus ſuis dirigit, vel gubernandae Eccleſiae normam praefigit. Neque exinde ſequitur, nos per Apoſtolos aut per Eccleſiam fidei traditones habere non poſſe. Eſto enim, quod tales fidei articulos condere nequeant, paſtorum tamen eccleſiaſticorum officium erit, in genuinum ſacrae ſcripturae ſenſum inquirere, authenticam ſacrarum litterarum interpretationem afferre, nec non myſteria diuina ſubobſcure nonnumquam reuelata apertius declarare, quae omnia ſaepius tantum ab Apoſtolis vel ab Eccleſia tradita accipimus.

§. XXXIX.

Alia oritur traditionum diuiſio ratione loci, vbi obſeruantur, et alia ratione temporis, quamdiu nimirum ea, quae tradita ſunt, obſeruari debent. Ratione loci aliae traditio-

ditiones sunt *vniuersales*, quae totam Ecclesiam, omnesque fideles vbilibet existentes afficiunt. Aliae *particulares*, quae Ecclesias tantum aliquas respiciunt. Ratione temporis quaedam traditiones dicuntur *perpetuae*, quae ad indefinitum tempus sese extendunt, semperque obseruandae sunt, quaedam vero *temporales*, quorum obligatio post certum aliquem temporis lapsum cessat.

Traditiones divinae vniuersalibus certe ac pepetuis adnummerandae sunt; quoniam vel fidei articulum continent, vel morum honestatem praescribunt. Fides semper et vbique eadem esse debet, morum honestas ab eodem praecepta pariter vbique et sine termino obligabit, quum nulla sit Ecclesia, nullus fidelium, qui iurisdictioni eiusdem subiectus non sit. Fundantur praeterea morum regulae saepius in Iure naturali, quod aliunde nullo loco aut termino constringi ita potest, vt praecise hic et non alibi vim suam obligandi exserat. De traditionibus apostolicis aut ecclesiasticis, quum mere humanae sint ac mutationi obnoxiae (excepto eo casu, quo Ius diuinum aut naturale explicant) dubitari vix potest, quod intra limites certae prouinciae contineri valeant, immo et certo temporis tractu omnino extinqui.

§. XL.

Quum in omni statu ab orbe condito ad Messiae vsque aduentum traditiones diuinae exstiterint, earumdem existentiam in lege etiam noua adeo in dubitatam habemus, vt easdem necessario existere debere propugnemus, quidquid in contrarium dixerint illi, qui ex peruerso sacrarum litterarum intellectu nihil verbo Dei addendum esse pro aris et focis contendunt.

Duplex

Duplex ab origine mundi vsque ad Chriſti aduentum ſtatus conſiderari debet: primus eſt *ſtatus legis naturae*, qui durauit vsque ad tempora Moyſis. Alter *ſtatus legis ſcriptae*, qui a Moyſe inchoatur, et ad *ſtatum legis gratiae*, in quo nos viuimus, ſe extendit. In primo ſtatu plures veritates ſupernaturales Adamo fuiſſe reuelatas, extra dubium eſt: ſciebat Adamus Meſſiam eſſe venturum, agnouit animae immortilitatem, beatitudinem aeternam, nec non poenas alterius vitae, perſpectum illi erat peccati originalis remedium, ea, quae cultum diuinum ſpectabant, ex aſſe callebat, ordinabat ſacrificia, ritus externos adhibebat tum ipſe, tum et poſteros ſuos circa eosdem adhibendos inſtruebat, vt plurima alia taceam. Haec omnia pro illo ſtatu neceſſaria in nullo libro ſcripto exſtabant, ſed filii Adami, quae a patre ſuo didicerant, ſuis poſteris ad Moyſem vsque numquam interrupta ſerie communicarunt, ex quo ſane traditionum exiſtentia luce meridiana clarius effulget. Moyſes, a quo ſtatus legis ſcriptae incipit omnia praecepta diuinitus data fideliſſime quidem litteris conſignauit, quod et ſubſequentes ſcriptores ſacrorum librorum fecerunt; attamen hoc non obſtante plura oretenus tradita continua communicatione propagata fuerunt. Huc refertur remedium pro peccato originali tum femellis, tum pueris ante octauum diem decedentibus applicandum, quod fruſtra in Scripturis diuinis quaeritur. Canon ſacrorum librorum, qui ſola pariter traditione innotuit, immo et ſenſus difficiliorum ſaltem quorumdam locorum in verbo Dei occurrentium aliter inueniri haud potuit, niſi ex inſtructione Seniorum iuxta monitum Eccleſiaſtici cap. VIII. v. 11. *Non te praetereat narratio Seniorum: ipſi enim didicerunt a Patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, et in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Haec de traditionum exiſtentia in vtroque ſtatu tam naturae quam legis ſcriptae ſatis plana ſunt. Verum circa tertium ſtatum, legis nimirum gratiae non modica oritur quaeſtio, an praeter verbum Dei ſcriptum etiam traditum ſit admittendum? Lutherus et cum eo Caluinus deciſiue loquuntur, omnesque traditiones eliminant. Lutheri verba in comment. cap. I. epiſt. ad Galat. ſequentia leguntur: " Neque alia doctrina in Eccleſia tradi et " audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura. " Doctores vel auditores alii cum ſua doctrina anathema ſunto. "

Cal-

Caluinus lib. IV. instit. cap. VIII. §. 8. ait. " Esto igitur hoc firmum " axioma: non aliud habendum esse verbum Dei, cui detur in Eccle- " sia locus, quam quod lege primum et Prophetis, deinde scriptis " apostolicis continetur. " Attamen numquam hactenus Ecclesia horum Pseudo-Reformatorum clamore moueri potuit, quin e contrario necessitatem per omnia elapsa saecula fidelibus firmissime semper inculcarit, quacum et nos authoritate et ratione satis superque suffulti credimus. Primo scriptura ipsa satis manifestat, quod non omnia, quae fecit Iesus in ea scripta sint, Ioan. cap. vlt. *Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Paulus laudat Corinthios, quod praecepta a se tradita custodierint, epist. I. ad eosdem cap. XI. v. 2. *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Haec praecepta certe non poterant esse scripta, quum praeter hanc, nullam aliam epistolam antea ad Corinthios dedisse noscitur. Idem Doctor gentium Thessalonicensibus inculcat, vt parem exhibeant obedientiam eiusdem praeceptis siue in epistola, siue nudo sermone tantum traditis. *Itaque fratres state, et tenete traditiones*, inquit II. ad Thessal. cap. II. v. 14. *quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* In hunc locum notatu digna sunt verba sancti Ioan. Chrysostomi Homil. IV. in epist. ad Thessal. vbi ait. " Hinc patet, quod non omnia per episto- " lam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem ve- " ro fide digna sunt tam illa quam ista. Itaque traditionem quoque " Ecclesiae fide dignam putamus; traditio est, nihil quaeras amplius. " Doctrinam a se oretenus communicatam aliis quoque sine scripto communicandam S. Paulus Timotheo praecipit cap. II. v. 1. epistolae II. ad eumdem: *Tu ergo, Fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu, et quae audisti a me permultos testes, hoc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* His testimoniis ex scriptura petitis si Conciliorum quoque, ac Patrum singulorum authoritas adderetur, nimium excresceret praesens dissertatio. Legi ista possunt apud Cardinalem Bellarminum lib. IV. de verbo Dei non scripto cap. VI. et VII. Vnam tantum alteramue rationem adiicimus, ex qua necessitas admittendi traditiones etiam pro hoc statu, quo viuimus, praeter verbum

bum Dei ſcriptum patebit. Credimus nos, et nobiscum etiam Proteſtantes ac Caluiniſtae, exiſtere verbum Dei ſcriptum, illudque contineri in libris canonicis, qui ad noſtra vsque tempora quoad ſubſtantiam incorrupti peruenerunt, aſt vbi hoc ſcriptura ipſa dicit? ſola tantum Traditione ea nobis manifeſta fiunt. Indigemus praeterea Traditione non modo ad dignoſcendum librorum canonicorum numerum, ſed ad genuinum ſaepe ſaepius ſacrarum litterarum ſenſum exquirendum: eadem quoque indigerent Proteſtantes et Caluiniſtae, ne turpiter adeo inter ſe ipſos disſiderent vel circa expoſitionem paucorum tantum ſcripturae ſacrae verborum: *Hoc eſt corpus meum.* de quo disſidio praecedente capite ſermo erat. Defendimus fortiſſime nec Heterodoxis modernis disſentientibus *perpetuam Deiparae virginitatem* contra Heluidium: *Spiritus ſancti a Patre filioque Proceſſionem* contra Graecos ſchiſmaticos: *Duplicem in Chriſto voluntatem* contra Monothelitas: *Valorem baptiſmi paruulis collati* contra Anabaptiſtas etc. Horum ergo omnium claram deciſionem ex ſacris paginis aut demonſtrent, neceſſe eſt, Heterodoxi, aut vna cum Eccleſia catholica Traditionum neceſſiatem profiteantur. Inanis profecto perſuaſio illorum eſt, qui nos Catholicos, dum Traditiones ſummma, qua par eſt, veneratione excipimus, verbo Dei quidquam ſuperaddere autumant; Traditionem enim diuinam verbo Dei non opus eſt, vt ſuperaddamus, quum ſit ipſum verbum Dei; reliquae autem Traditiones ſiue mere apoſtolicae ſint ſiue eccleſiaſticae, itidem verbo Dei non adduntur, ſed longiſſime eidem poſtponuntur. Alia figmenta, quibus Lutheri et Caluini aſſeclae doctrinam Catholicorum labefactare nituntur, adducit et propulſat tum Bellarminus loco citato cap. X. tum clariſſ. P. Corbinianus Thomas Proleg. part. II. cap. II. Num. 21.

§. XLI.

Plures Traditionum ſpecies §. §. praecedentibus aſſignauimus: difficultas praecipua remanet, quomodo inuicem dignoſci debeant? peculiaribus itaque regulis opus eſt, quarum ductu diuinas ab apoſtolicis, has a mere eccleſiaſticis Tra-

ditionibus distinguere discamus. Singulis speciebus singulas quoque regulas hic annectimus.

Traditiones diuinae aliae ad fidem, aliae ad mores spectant: Pro prioribus dignoscendis sequentes deseruire possunt regulae. *Prima.* Quod vniuersalis Ecclesia amplectitur tamquam dogma fidei, attamen in scriptura sacra vel omnino non, vel non satis clare reperitur expressum, id tamquam ex Traditione diuina descendens habendum *est.* Nihil enim ab Ecclesia de fide credendum proponi potest, nisi illud pro priori sit a Deo vel in verbo scripto aut tradito *reuelatum.* Ex hac regula prima sequitur *Secunda.* Quum in Concilio generali atque oecumenico aliquid tamquam de fide definitum, in sacris tamen scripturis expressum non est, et praesertim si Patres Concilii *testantur*, se illud habere ex Traditione, tunc indubitato id ceu diuinitus traditum amplectendum est, atque eidem aduersantes pro Haereticis habendi sunt. *Tertia.* Quando summus Pontifex extra Concilium generale ex cathedra tamen loquens aliquod dogma fidei definit, si illud ex sacris litteris clare deduci non potest, a Christo vel Spiritu sancto *Apostolis* traditum, et ab his ad nos propagatum fuisse existimandum est. facile enim Traditio diuina in Ecclesia romana conseruari potuit, quum ab Apostolo Petro fundata et legitimis eiusdem successoribus *numquam* destituta fuit, qui absque omni dubio diligentissimi erant sacrarum Traditionum custodes. *Quarta.* Quando sancti Patres primorum *praesertim* saeculorum vnanimiter testantur, se hanc vel illam veritatem ex ore Apostolorum, aut virorum apostolicorum, aut antecessorum accepisse: item si alias quomodocumque declarant, se aliquid tenere tamquam fidei dogma, aut si contrarium defendentes damnant velut Haereticos, illud ex Traditione diuina ad ipsos peruenisse *credendum est.* Sunt hi viri veri Traditionum sacrarum depositarii, quorum vnanimis consensus infallibile Traditionis diuinae praestat argumentum, vt inferius cap. VI. dicemus. Pro dignoscendis morum Traditionibus regulam primam desumimus ex sancto Augustino, qui lib. IV. de Bapt. contra Donatist. cap. XXIV. ita loquitur: " Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non " nisi authoritate apostolica traditum rectissime creditur. " Vt vero

certo

certo constet, an talis Traditio praecise diuina, an autem mere apostolica censeri debeat, sequentibus duabus regulis opus est. *Prima.* Si legis cuiusdam nesciatur initium, eiusque materia excedat potestatem humanam, tum origo illius ad Deum referenda est. *Secunda.* Si Concilia generalia aut etiam extra haec summi Pontifices sufficienter declarent, legem aliquam esse Iuris diuini, tunc firmissime pro tali habenda erit. Sicut enim in rebus fidei, ita et in Traditionibus morum diiudicandis infallibilia esse oportet tam Concilia generalia, quam romanae Ecclesiae Praesules. Hae de dignoscendis Traditionibus diuinis regulae iam sufficiant; vt vero sciamus, quaenam Traditio sit mere apostolica, attendendum erit *primo.* Vtrum Traditionis cuiuspiam ignoretur initium? vtrum excessum Christi ex hoc mundo supponat, ac materiam talem contineat, quae Ecclesiae potestatem non superet? an Ecclesia contra huiusmodi Traditionem numquam dispensauerit, aut dispensandi saltem potestatem sibi non reseruauerit? haec indicia, si adsint, Traditionem pure apostolicam aperte indicant. *Secundo.* Traditionem apostolicam ex eo quoque intelligimus, si primis iam temporibus per vniuersam Ecclesiam aliquid obseruatum fuisse constat, quin tamen sciatur, a quo sit institutum aut propagatum. *Tertio.* Testimonium sanctorum Patrum aut Ecclesiae iudicium certos etiam nos reddere poterit, quod haec doctrina tradita Apostolis debeat adscribi, licet forte circa talem materiam versetur, quae Ecclesiae non excederet potestatem. Omnes reliquas Traditiones, quibus nulla ex recensitis regulis applicari potest, in numerum Traditionum mere ecclesiasticarum referimus, de quibus generatim dicimus, quod omnes pro pure ecclesiasticis habendae sint, quae vel Christi et Apostolorum e terris discessum supponunt, vel quarum nullus ex primaeuae Ecclesiae Patribus mentionem facit, quamuis ipsarum origo tam antiqua foret, vt determinate, quo tempore coeperint, dici non posset. Haud enim credibile est, doctrinam aliquam, quae vere Apostolorum est, ita latere potuisse Patres omnes, vt nec vnus illorum ea de re quid sciuerit aut scripserit. Interesset Iuris sacri Candidato, vt singulatim nosceret, quae sint Traditiones diuinae? quid apostolicis, quid demum ecclesiasticis in acceptis referri debeat? verum quum praesentium pagellarum arcti limites singularem de singulis sermonem non

concedant, remittendus est lector beneuolus ad illos, qui fusiori calamo hac de re scripsere. Sunt autem inter alios bene multos nominatim Reuerendiss. Bertholdus Vogl in Proleg. Theologiae sect. III. cap. II. §. IV. vbi ex professo inquirit in praecipuos sacrarum Traditionum scriptores. Clariss. P. Corbinianus Proleg. part. II. cap. V. et sequ. in quibus satis accurate enarrat, quae sint Traditiones diuinae, quae apostolicae, quae ecclesiasticae.

§. XLII.

Quanta cum reuerentia Traditiones ab Ecclesia recipiantur, maxime tum, si ad fidem et mores pertineant, tridentinum Concilium declarauit, dum Traditiones praedictas cum verbo Dei scripto omnino exaequat. Verba illius sess. IV. sequentia leguntur. " Sacrosancta oecumenica et generalis " tridentina Synodus - - - perspiciens hanc veritatem et dis- " ciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto tradi- " tionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, " aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per " manus traditae ad nos vsque peruenerunt, orthodoxorum " Patrum exempla secuta, libros tam veteris quam noui testa- " menti, quum vtriusque vnus Deus sit author, nec non Tra- " ditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, " tamquam vel oretenus a Christo vel a Spirito sancto dicta- " tas, et continua successione in Ecclesia catholica conser- " uatas pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, et ve- " neratur. "

Verba quidem tridentini Concilii de Traditionibus diuinis intelligenda sunt; hae enim, quum eumdem habeant authorem, quem habet scriptura sacra, iure optimo pari reuentia cum verbo Dei scripto recipiuntur.

tur. Aſt ex hoc nemo inferat, Traditiones apoſtolicas aut eccleſiaſticas negligendas eſſe: ſuſcipit et has Eccleſia ea, qua par eſt, reuerentia, et quamuis prioribus dignitate aequales non ſint, primum tamen ab illis locum ex merito ſibi vendicant. Videmus, quanta cum ſolicitudine Eccleſia hodiernum in diem vsque obſeruari praecipiat ſeſtos dies, quos ex Traditione apoſtolica deriuamus. Ieiunium quadrageſimale, quod pariter ad apoſtolicam inſtitutionem et ordinationem pertinere teſtatur S. Leo Magnus ſermone VI. et IX. non minus religioſe hodie cuſtoditur, quam olim apud Philippenſes, quos S. Ignatius hunc in modum cohortatus eſt: " Quadrageſimale ieiunium ne ſpernatis; " continet enim exemplum conuerſationis apoſtolicae. " Traditiones quoque eccleſiaſticas, quibus adnumeramus ſolemnitatem et obſeruationem quorumdam Feſtorum, benedictiones aquae luſtralis, Candelarum, Cinerum, Palmarum etc. Proceſſiones et plura alia, ſumma vigilantia in Eccleſiis noſtro etiam aeuo retineri cernimus; quod vtique indicio ſatis manifeſto eſt, Traditiones omnes decenti cum reuerentia ab Eccleſia ſuſcipi.

§. XLIII.

Si Eccleſiae tanta in veneratione ſint Traditiones, quas vel a Deo ipſo, vel ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia ſaltem accepimus, fieri aliter non poteſt, quin vt et in Iure noſtro easdem maximae authoritatis eſſe dicamus, per quas aeque firmam credendi agendique regulam acquirimus, ac per ipſum Dei verbum ſcriptum, aut per leges ab Apoſtolis aut Eccleſia in ſcriptis nobis relictas.

Sicut ergo firmiſſimum robur obtinet concluſio ex verbo Dei Scripto deducta: ita pariter ſine vlla haeſitatione aſſurgendum eſt argumento, quod ex verbo Dei tradito deriuat Iuris ſacri peritus. Quoad Traditiones tamen apoſtolicas, nec non eccleſiaſticas caute attendendum eſt, an illae ſint perpetuae et vniuerſales, an vero pro aliquo tantum tem-

tempore, vel in hoc particulari ſolum obtinuerint loco? plura enim antiquitus obſeruata fuiſſe legimus, a quibus tamen ad noſtrum Eccleſiae ſtatum haud bona duceretur ſequella. Modus certe ieiunandi olim longe alius erat, quam hodie. Vigebat aeuo Apoſtolorum communio bonorum inter fideles, quae iam pridem ceſſauit. Fuit primis Eccleſiae ſaeculis ſummus rigor in peragendis poenitentiis publicis, prout veſtigia non obſcura deprehendere licet in antiquis canonibus poenitentialibus, quae tamen omnia aut abrogata penitus, aut mirum in modum ita immutata ſunt, vt noſtris ſaeculis praeter nudum nomen et memoriam aliud ſupereſſe nihil videatur. Habebant nempe Traditiones iſtae naturam verae legis humanae, quae tamdiu obligare cenſetur, quamdiu per expreſſam legislatoris aut alterius in poteſtate aequalis voluntatem non reuocatur vel per conſuetudinem contrariam non abrogatur, quod tunc potiſſimum fieri aſſolet, ſi tales emergant circumſtantiae, quas homo, qui legem tulit, praeuidere non potuit. Plura itaque ſaeculis ſubſequentibus, neceſſitate id exigente, fuerunt abrogata, immutata, aut mitigata, quae ab initio ſaluberrime vel ab Apoſtolis vel ab Eccleſia inſtituebantur; aſt quae Chriſtus ſeruanda Apoſtolos docuit, haec omni tempore illaeſa cuſtodiri debent, quum procedant a legislatore prouidentiſſimo, qui omnia praeuidere potuit, qui legem a ſe latam numquam ipſe reuocauit, nec aliis reuocandi poteſtatem tradidiſſe vllibi legitur.

§. XLIV.

Eamdem authoritatem in Iure noſtro, quam praememoratis hucusque Traditionibus competere diximus, haud aſſignamus illis, quas paſſim Traditiones pias appellitamus, ſub quarum nomine intelligimus opinionem quamdam circa doctrinam, hiſtorias, facta, conſuetudines aut mores ab vno ad alterum traductam, et demum ad nos vsque ope picturarum, imaginum, vel aliorum monumentorum propagatam.

Tradi-

Traditiones piae nuncupantur; quia plerumque aliquid continent, quod homini ad excitandam deuotionem deseruit, vel quod religionis ac Ecclesiae nostrae authoritatem et sanctitatem commendat, aut demum, quod nihil exhibeant fidei aut bonis moribus contrarium. Harum Traditonum authoritas tanta est, quanta debetur illi, a quo originem trahunt, aut in cuius libris insertae leguntur, ex quo iam satis distinguuntur a Traditionibus vulgaribus, quibus omnino nulla authoritas inest; eoquod partim ex pia tantum hominum credulitate nulla fide digno instrumento fundata, partim etiam ex simplicitate, immo et nonnumquam ex malitia quorumdam proueniant, qui data opera, vt aliis illuderent, miracula, gesta, et nescio, quas historias confinxere. Huiusmodi figmenta primis mox Ecclesiae saeculis non incognita fuisse, colligimus ex facto S. Ioan. Euang. qui reprehendit Presbyterum quemdam, quod mendaces Apostolorum historias, nec non fabellam illam de sanctorum Pauli et Theclae itineribus conscripserit, prout testantur Tertulianus lib. de Baptis. et S. Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis. Quodsi Ecclesia nonnumquam per speciales Bullas Traditiones pias approbare videatur, haec approbatio iisdem tantum pondus haud adiicit, vt exinde indubitatam certitudinem, aut fidei articulum habeamus, sed mens Ecclesiae approbantis solum ea est, quod talia facta pia fide credi, Reliquiae pie coli valeant, quod reuelationes, quae sanctis hominibus nonnumquam factae leguntur, nihil fidei et bonis moribus contrarium contineant etc. Solet tamen Ecclesia semper hac in re cautissime procedere, ne vna cum Traditionibus piis simul et vulgares fideli populo obtrudantur. Regula circa Traditiones pias in genere haec vnica prae oculis constanter habenda est, ne in iisdem recipiendis aut simus nimium scrupulosi, neque nimium critici, sed medio tutissimi eamus. Quid in specie de singulis illarum statuendum sit, videri potest Magnif. P. Zalvvein Tom. I. quaest. II. cap. III. §. X. et authores magno numero ab eodem relati.

CA-

CAPVT IV.

DE CONCILIIS TERTIO IVRIS CANONICI FONTE ORIGINARIO.

§. XLV.

Concilium in genere est plurium in vnum locum, aliquid deliberandi gratia, conuentus. Dicitur *Concilium* a *considendo*, vt Isidoro hispalensi videtur, vel a *Calando* id est *vocando* aut *conuocando*, prout Varro putat apud Douiat lib. II. praenot. canon. cap. I. vbi fusius Concilii Ethymologia exponitur.

Concilii vocabulum olim varias habuisse significationes, testis omni exceptione maior est Benedictus XIV. de Synodo dioecesana cap. I. ex cuius relatione constat, quod Concilii nomine saepius venerit locus ipse, in quo tales Conuentus fuere celebrati; quum vero frequentissime in Ecclesiis, ad quas fideles conueniebant, haberentur, facile euenit, vt Concilii appellatione Ecclesiae Christianorum designarentur: locum non obscurum in huius rei confirmationem adducimus ex leg. IV. cod. Theodosiani de Episcopis et Clericis, vbi dicitur: *Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo catholicae* (fidei), *venerabilique Concilio decens, bonorum quod optauit, relinquere. Venerabilis Concilii* nomine hic Ecclesiam denotari, erudite obseruat Gothofredus in notis ad eamdem legem. *Concilia Martyrum* etiam dicebantur Ecclesiae, quoniam pro more illorum temporum pii fideles Ecclesias suas supra Martyrum sepulchra construere solebant, vnde nostro adhuc aeuo huius moris antiquissimi quasdam superesse reliquias cernimus: quotiescumque enim vel Ecclesia vel altaria consecrantur, Sanctorum ossa eisdem inseruntur. S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum laudat

Nepo-

Nepotianum, " Quod Basilicas Ecclesiae, et *Martyrum conciliabula* diuersis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit. " Gesta S. Stephani Papae de Nemesio referunt: " Circuibat cryptas, et *Concilia Martyrum.* " His in locis nil aliud intelligi potest, quam Ecclesia supra Martyrum sepulchra aedificata. Videatur du Cangius in Glossar. verb. *Concilium.*

§. XLVI.

Concilium in genere plurium in vnum locum deliberandi gratia Conuentum esse §. mox praecedente dictum fuit. In latissima hac acceptione Concilium conuenit cum comitiis, quae pariter rationem habent huiusmodi conuentus, maxime autem Concilii nomine indigitantur illae Synodi regiae, quae olim tam ex Episcopis, quam ex Optimatibus Regni congregabantur, vt omnium suffragiis leges ad vtramque politiam ecclesiasticam et ciuilem disponendam conderentur.

Harum Synodorum mentionem facit Petrus de Marca lib. VI. de concordia etc. cap. XX. num. 5. vbi refert ex Canone IV. Synodi vernensis a Rege Pipino congregatae, quod bis in anno Synodus celebrari debeat, *vbicumque Domnus Rex iusserit, in eius praesentia.* Prima Synodus dicebatur regia, et " Non solum ex Episcopis constabat, " sed etiam ex Optimatibus, comitibus Regni, in qua omnium suffra-" giis condebantur statuta ad disponendam politiam ecclesiasticam et " ciuilem, quae postea confirmabantur a Rege. " Ita laudatus de Marca. Nolebant religiosissimi Reges quidquam, quod esset grauioris momenti decidere sine Episcoporum et Optimatium consilio, quod ipsimet in suis edictis fassi sunt, quorum vetustissimam formulam profert Bigonius in notis ad Marculphum lib. I. cap. XXV. Huius generis Concilia frequentia fuisse Constantinopoli, tradit Thomasinus de veteris et nouae Ecclesiae disciplina part. II. lib. III. cap. XLVI. frequentissima autem ex ratione mox adducta eadem in Gallia exstitisse testatur

Baluzius in notis ad capitularia Regum Francorum Tom. II. Colum. 1028. Leges seu Capitula, quae in his conuentibus condebantur, primus collegit, ac in quatuor libros digessit *Ansegisus* Abbas Lobiensis coenobii ord. S. Benedicti, postea Senonensis Archiepiscopus circa annum DCCCXXX. cuius collectioni quatuor libris constanti tres alios adiecit *Benedictus Leuita* siue *Diaconus Moguntinus* circa annum DCCCL. Demum Stephanus Baluzius nouam atque ex pluribus manu exaratis codicibus emendatam auctamque Capitularium editionem adornauit anno MDCLXXVI. Exhibentur etiam Capitularia Regum Francorum vna cum libris Capitularium ab Ansegiso Abbate et Benedicto Leuita collectis apud Petrum Georgisch etc. in corpore Iuris germanici antiqui. De authoritate horum Capitularium legi meretur Canon. 9. dist. X.

§. XLVII.

Concilium, prout tum a Theologis, tum a Iuris sacri Peritis consideratur, describi potest, quod sit conuentus Ecclesiae Praesulum vel totius orbis catholici, vel vnius nationis, vel alicuius tantum prouinciae vel inferiorum etiam Clericorum ad tractanda negotia grauiora tam Religionem, quam Ecclesiam seu vniuersalem, seu particularem concernentia legitime conuocatus, continuatus, atque finitus.

In hac descriptione omnia ea ponuntur, quae Concilia ab omnibus aliis conuentibus, in quibus aut non soli Praesules, aut Praesules quidem sed non qua tales, sed qua Principes territoriales comparent, discernunt; exprimitur insuper Conciliorum finis, qui alius esse non potest, quam bonum Religonis et Ecclesiae. Designatur quoque Conciliorum multiplicitas, nec non ceterae qualitates ad Concilium, vt pro legitimo habeatur, requisitae, quales potissimum sequentes numeramus. *Prima*, vt a legitima potestate conuocetur. *Secunda*, vt sub legitimo Praesidio continuetur, et *Tertia* vt legitimum demum finem con-

consequatur, quae omnia suo ordine discutienda praesentis capitis obiectum constituunt.

§. XLVIII.

Quum ad hos conuentus vocentur vel Praesules ex toto orbe catholico, aut integra quadam natione, aut ex vna tantum prouincia, vel Clerici solum inferiores, necessario varia exinde nascitur Conciliorum diuisio, vt alia sint *generalia*, alia *particularia*, et haec rursus vel *nationalia*, vel *prouincialia*, vel *dioecesana*.

Concilia *generalia* illa sunt, ad quae vocantur per epistolam encyclicam vniuersi totius orbis Episcopi, vt, si velint aut possint conuentui interesse, ad praefixum terminum compareant. *Particularia* censentur, quando non omnes totius Ecclesiae Episcopi, sed aliqui illorum conueniunt, et quidem, si conuentus Episcoporum vnius Regni aut nationis, praesidente Patriarcha aut Primate instituitur, Concilium erit *nationale*. Si Epicopi in vna prouincia residentes sub Praesidio Archiepiscopi congregantur, Concilium *prouinciale* audit. Quodsi Episcopus suae dioeceseos Clerum conuocat, atque cum eodem de negotiis ecclesiasticis tractat, Synodum *dioecesanam* dicimus.

§. XLIX.

Concilia generalia aliam quoque subeunt diuisionem: dicuntur enim *absolute*, vel *respectiue* talia. Illa sunt, quae non tantum ex omnibus totius orbis Episcopis congregantur, sed etiam sub legitimo romani Pontificis, aut legatorum eius praesidio ad optatum finem perducuntur: haec vero, quae in se quidem particularia sunt, ast ex fama, vsu, authoritate

 con-

conuocantium, praesidentium, vel a numero conuenientium adeo fiunt spectabilia, vt cum generalibus propemodum exaequanda videantur.

Inter Concilia, quae generalibus authoritate non multum cedunt, recensetur *Arelatense I.*, quod sub Syluestro Papa iussu Constantini Magni in causa Donatistarum celebratum fuit, hoc vocat S. Augustinus epist. CCXV. plenarium totius Affricae. *Sardicense*, sub Iulio Pontifice, quod veluti appendix Concilii nicaeni I. habetur. *Turonense* III. sub Alexandro III. romano Antistite et alia non nulla. Alias insuper Conciliorum generalium diuisiones in *approbata* et *reprobata* ex toto, aut partim *acceptata*, et partim *reiecta* affert Douiat. praenot. canon. lib. II. cap. I. num. 19. Videatur quoque Magnif. P. Zallvvein princip. Iur. eccles. Tom. I. quaest. III. cap. I. §. III.

§. L.

Quot Concilia generalia in Ecclesia tam orientali, quam occidentali a saeculo Ecclesiae quarto ad nostra vsque tempora celebrata fuerint, Catholici ipsi inter se haud conueniunt. Octo communius numerant orientalia, occidentalia vero aliqui tredecim, alii duodecim, et rursus alii vndecim ponunt. Nos interea, vsque dum alio tempore de singulis singillatim mentem nostram explicandi se obtulerit occasio, viginti et vnum breuiter recensemus.

In *Oriente saeculo IV.* duo occurrunt Concilia generalia. *Primum* sub Syluestro Pontifice, et Constantino Magno Imp. anno CCCXXV. quod, quum Niceae in Bythinia contra Arianos, Quartodecimanos, et Meletianos esset conuocatum, *Nicaenum I.* appellatur. Canones huic Concilio XX. communiter adscribuntur. Concilium *Sardicense* eadem vix non de causa et eodem saeculo, anno nimirum CCCXLVII. sub

ſub Iulio I. Papa et Conſtantio, atque Conſtante Imp. celebratum nicaenae Synodi appendix audit, quia nihil noui in eo ſtatutum, ſed fides nicaena rurſus confirmata reperitur. *Alterum* eſt *Conſtantinopolitanum* I. aduerſus Macedonianos, tempore Damaſi Pontificis, et Theodoſii ſenioris Imp. anno CCCLXXXI. conuocatum. Canones ab hoc Concilio quatuor fuerunt editi, quos latini in tres contrahunt, Graeci vero ſeptem eidem attribuunt. *Saeculo V.* itidem duo Concilia generalia congregabantur: *primum* ex his locum ſibi vendicat *Epheſinum*, inter generalia *tertium*, quod ſedente in cathedra Petri Coeleſtino I. et imperantibus Theodoſio iuniore ac Valentiniano contra errores Neſtorii anno CCCCXXXI. conuocatum fuit. Canones huius Concilii VI. referuntur. Circa medium eiusdem ſaeculi anno CCCCLI. ſub Leone I. Pont. et Marciano Imp. ſequebatur Concilium *Calcedonenſe* generale *quartum*, cui congregando cauſam dederunt errores Eutychetis. Graeci huius Concilii Canones XXX. Latini vero XXVII. numerant, eoquod tres poſteriores poſt diſceſſum legatorum a Pontifice miſſorum additos fuiſſe conſtet. De his quatuor Conciliis notatu digniſſimum elogium a Iuſtiniano Imper. datum legere eſt in Nouella CXXXI. cap. I. *Saeculum* Eccleſiae *VI.* vnicum ſolummodo nobis exhibet Concilium, nimirum *Conſtantinopolitanum II.*, generale *quintum*. Illud praeſente in vrbe Vigilio Papa et Iuſtiniano regnante anno Chriſti DLIII. in famoſa trium Capitulorum cauſa celebratum fuit: Canones hoc in Concilio condebantur nulli, ſed tantum anathematiſmi numero quatuordecim praeter anathematum in Origenis, et Origenianorum errores capita. Ex *ſaeculo VII.* habemus Concilium *Conſtantinopolitanum III.* generale *ſextum*, anno DCLXXX. conuocatum, ſub Agathone romano Pontifice, et Conſtantino Pogonato Imperatore. Praecipua huius Concilii cura in eo conſiſtebat, vt anathemate percelleret tum Monothelitas vnius in Chriſto voluntatis aſſertores, tum eorumdem fautores. Canones vero condere ad exemplum prioris etiam hoc Concilium intermiſit. Quum ergo per duo iam Concilia Canones deficerent, Orientales aliam Synodum Conſtantinopoli in Trullo ſeu Secretario palatii ſub praeſidio Iuſtiniani Imperatoris anno DCXCII. celebrarunt, quae Synodus *Trullana*, *vel quini-ſexta* vocari ſolet; eoquod duarum praecedentium quaſi ſupplementum eſſet. Condebantur in hac Synodo

erra-

erratica, prout eam Sergius Pontifex appellat, Canones CII. qui quidem maximae authoritatis sunt apud Graecos schismaticos, Latini vero eosdem haud aliter recipiunt, nisi in quantum cum aliorum Conciliorum Canonibus conueniunt. *Saeculo VIII.* anno nimirum DCCLXXXVII. sequebatur Concilium *Nicaenum II.*, generale *septimum*, quod aduersus Iconoclastas ad restituendum cultum sacrarum imaginum sub Adriano I. Pont. ac Constantino IV. adhuc puero nec non matre eius Irene regnantibus celebratum fuisse legitur. In actione octaua et vltima huius Concilii XXII Canones edebantur, qui disciplinam maxime spectabant ecclesiasticam. *Saeculo* demum *IX.* agmen Conciliorum oecumenicorum in Oriente clausit *Constantinopolitanum IV.*, generale *octauum.* Istud Concilium tempore Adriani II. sedis romanae Antistitis ac Basilii Imperatoris anno DCCCLXIX. contra Photium sedis constantinopolitanae inuasorem in templo sanctae Sophiae quinta Octobris inchoatum, ac vltimo Februarii anni sequentis finitum fuit. Ex versione Anastasii huius Concilii Canones XXVII. habemus, sed in manuscriptis Graecorum tantum XIV. leguntur. Longissimum erat ab hoc saeculo internallum, quo nullum siue in Oriente siue in Occidente Concilium cogebatur, donec tandem *saeculo XII.* in Ecclesia quoque latina eorumdem vsus inualuit. Anno MCXXIII. Romae in Laterano a Calisto II. Pontifice Concilium *lateranense I.* generale *nonum* conuocatum est, in quo Henricus IV. Imperator dimisit Ecclesiae inuestituras per annulum et baculum, quae tot tantosque motus in Ecclesia a longo iam tempore excitauerant. Condebantur praeterea in eodem conuentu XXII. Canones ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes. Illud Concilium eodem adhuc saeculo eodemque in loco excepit lateranense II. inter generalia *decimum* anno Christi MCXXIX. sub Innocentio II. Papa, et Lothario Imp. Causa conuocandi hoc Concilium erat tum schisma in Ecclesia ortum occasione electionis Leonis Anti-Papae, qui Anacleti II. nomen assumserat, tum variae Haereses configendae, nec non mores reformandi. Canones ex hoc Concilio habemus XXX., inter quos ille notabilis est: *Si quis suadente* etc. quem Gratianus exhibet can. 29. causa XVII. quaest. IV. Vt pro futuro tempore schismatis tolleretur occasio, stabilisque norma in romanorum Pontificum electionibus haberetur, eodem adhuc saeculo anno

MCLXXIX.

MCLXXIX. Alexander III., regnante Imperatore Friderico I., Concilium *lateranense III.* generale *vndecimum* conuocauit, in quo damnatis Albigensium et VValdensium erroribus ad mores deprauatos corrigendos editi fuere Canones XXVII. Quae electionem romani Pontificis concernunt, habentur in cap. VI. de electione. *Saeculo XIII.* rursus in Laterano Concilium *lateranense IV.* generale *duodecimum* ab Innocentio III. sub Imperio Friderici II. anno MCCXV. congregatum fuit. Scopus huius Concilii erat recuperatio terrae sanctae a Turcis occupatae, Haeresum eliminatio, nec non morum reformatio, quem in finem LXX. Canones edidit, qui quoad potissimam partem Decretalibus inserti leguntur. Concilia Romae celebrata excipiebant eodem adhuc saeculo duo in Gallia conuocata *Lugdunense* I. et II. illud, quod inter generalia *decimum tertium* est, sub Innocentio IV., et Friderico II. Imperatore anno MCCXLV. tribus actionibus absoluebatur, in quarum prima discussi sunt excessus Praelatorum, in altera delicta Friderici examinata, et in tertia denique sententia excommunicationis ac depositionis contra eumdem lata. Ex XVII. Canonibus huius Concilii illi duodecim priores, qui iudiciorum ecclesiasticorum formam praescribunt, in corpus Iuris nostri relati sunt. *Lugdunense II.* inter generalia *decimum quartum* sub Imperio Rudolphi I. anno MCCLXXIV. a Gregorio X. Pontifice quadruplici de causa conuocatum fuit *Primo* ad auxilium Christianis in Syria degentibus mittendum. *Secundo* ad Graecorum reunionem. *Tertio* ad mores reformandos. *Quarto* ad normam praescribendam, iuxta quam negotium electionis romanorum Pontificum accelerari deberet. XXIX. Canones ab hoc Concilio conditi ferme omnes in lib. VI. Decretalium continentur, inter quos de maturanda romani Pontificis electione ille tractat, qui cap. III. de electione in 6. habetur. *Saeculo XIV.* aliud Concilium in Gallia *Viennense* nimirum inter generalia *decimum quintum* anno MCCCXI. cogebatur, in quo causa Templariorum examinata, atque extinctio eorum decreta fuit. Erat tum temporis Pontifex Clemens V. et ad Imperii clauum sedebat Henricus VII. Damnatae praeterea hoc ipso in conuentu fuerunt Haereses Beguardorum, ac Beguinarum, Fratricellorum ac Dulcinistarum. Constitutiones in hoc Concilio editae in Clementinis referuntur. *Saeculo XV.*, quo ingens in Ecclesia schisma oriebatur ob duos

de

de Papatu contendentes, quorum vnus *Gregorius XII.*, alter *Benedictus XIII.* erat, Cardinales ad illud schisma abolendum Pisis in Tuscia anno MCCCCIX. Concilium indixerunt, quod *Pisanum*, et iuxta multorum calculum generale *decimum sextum* vocatur: in hoc Concilio exauthoratis illis duobus Pontificibus in sede D. Petri ponebatur Alexander V., qui omnia et singula, quae per Concilium huiusmodi pro tollendo schismate facta fuerunt, tamquam vniuersalis Ecclesiae authoritate et concordia facta confirmauit, ob quam confirmationem multi hoc Concilium generalibus adnumerari debere autumant. Verum funestum hoc schisma penitus extingui in Concilio pisano, cuius decretis parere recusabant Gregorius XII. et Benedictus XIII. haud potuit. Mortuo itaque paulo post Alexandro V. in eius locum Ioannes XXIII. suffectus est, qui primas inter curas habuit, nouum *Constantiae* indicere Concilium, quod et actu ibidem sub Sigismundo Imp. anno MCCCCXIV. congregatum est. In hoc Concilio, quod durauit ad annum MCCCCXVIII., et XLV. sessionibus absoluebatur, plurima occurrunt notatu dignissima. *Primo*, sess. IV. et V. definitum fuit, Concilium esse supra Pontificem. *Secundo*, sess. VIII. damnati fuere XLV. Articuli Ioannis VVicleffi, nec non eius libri et ossa exhumata comburi iubebantur. *Tertio*, sess. XII. pronuntiata est sententia depositionis in Ioannem XXIII. *Quarto*, sess. XIV. Gregorius XII. per Procuratores Papatum resignauit. *Quinto*, sess. XV. proscripti sunt XXX. Articuli Ioannis Hufs, qui nolens resipiscere, cum suis libris crematus fuit. *Sexto*, sess. XX. et XXI. Hieronymus de Praga Haereseos conuictus brachio saeculari traditus, et viuus exustus fuit. *Septimo*, sess. XXXVII. Benedictus XIII. e Pontificatu depositus, ac tandem *Octauo*, sess. XLI. Martinus V. renuntiatus est Pontifex, qui in vltima sessione hoc Concilium sequentem in modum approbauit. "Quod "omnia et singula determinata, et decreta in materiis fidei per prae- "sens Concilium conciliariter tenere et inuiolabiliter obseruare vole- "bat, et numquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliari- "ter facta approbat, et ratificat, et non aliter, nec alio modo." Hinc inter Concilia generalia *Constantiense Concilium decimum septimum* obtinet locum. Martinus V., sicut in Concilio constantiensi promiserat, aliud Concilium *Papiae* celebrandum indixit, ast dum ob pestem grassan-

grassantem ibi commode congregari non potuit, illud *Senas*, et demum *Basileam* transtulit, vbi sub Eugenio IV. Pontif. Martini V. successore et Sigismundo Imp. anno MCCCCXXXI. inchoatum fuerat. Causa congregandi huius Concilii triplex erat: *Prima*, vt exstirparetur Haeresis Bohemorum. *Secunda*, vt pax inter Principes christianos reuiuisceret, ac *Tertia*, vt Cleri mores reformarentur. A loco, in quo celebratum fuit, *Basileense* dicitur, ac inter Concilia generalia, quibus a non paucis adnumerari solet, *decimum octauum* occupat locum. Concilium praedictum post Sessionem XXIV. Eugenius IV. anno MCCCCXXXVII. *Ferrariam*, et demum *Florentiam* transtulit, quo in loco anno etiam sequenti, imperante in Occidente Alberto II. finitum fuit. Concilii huius *Florentini* generalis *decimi noni* cura ferme vnica erat vnio Ecclesiae orientalis cum Ecclesia romana, ad quam conciliandam editum fuit decretum, cui omnes tum Graeci tum Latini subscripsere. In eodem Concilio conditum fuisse legitur *Decretum vnionis* pro Armenis, Iacobitis etc. quod etiam post Graecorum discessum fuit promulgatum. In saeculo XVI. duo adhuc supersunt concilia *Lateranense V.* generale *vigesimum*, et *Tridentinum* generale *vigesimum primum* ac vltimum. Primum conuocauit Romae in Laterano Iulius II. anno MDXVII. imperante Maximiliano I. Quum vero hic Pontifex post quintam sessionem morte abriperetur, successor eiusdem Leo X. illud continuauit, atque ad finem optatum perduxit. Occasionem congregandae huic Synodo dedit conciliabulum pisanum, quod quidem Cardinales aduersus Iulium conuocauerant, cuius etiam acta in lateranensi Synodo penitus fuerunt reprobata. Authoritatem oecumenicam huic Concilio abnegant Galli; eoquod in eodem publicata fuerit abrogatio Sanctionis pragmaticae, et in locum illius substituta concordata inter Leonem X. R. P. et Franciscum I. Regem Galliae inita. Concilium *tridentinum* ad damnandos errores Lutheri, Caluini et sequacium Nouatorum atque ad reformandam Ecclesiam indicebatur a Paulo III. primum *Mantuae*, tum *Vicentiae*, demum *Tridenti* anno MDXLV. et durauit vsque ad annum MDLXIII. Acta huius Concilii in viginti quinque sessionibus continentur, quarum vndecim Priores habitae sunt sub Paulo III., sex subsequentes sub Iulio III., reliquae vero sub Pio IV. romanis Pontificibus: imperii vero culmen tum temporis tenebant Carolus

V. et Ferdinandus I. Authoritatem huius Concilii saltem quoad fidei et morum capita nemo Catholicorum impugnat. Plura de singulis conciliis in particulari legi possunt vel apud Cabasutium in notitia Conciliorum vel apud Iuenin de locis theologicis dissertatione IV. quaest. III. cap. II. vel apud historicos ecclesiasticos passim.

§. LI.

Conciliorum antiquissimum esse vsum in Ecclesia nostra, ex §. praecedente satis liquet: de eo solum dubitandi locus superest, an originem eorum ex Iure diuino deriuemus? an vero ortum illorum institutioni apostolicae aut omnino ecclesiasticae adscribamus? Protestantes Concilia Iure humano ad normam Comitiorum politicorum introducta existimant; verum Catholici ex Iure diuino ea descendere sat validis argumentis defendunt.

Principale fundamentum desumunt ex S. Matth. cap. XXVIII., vbi Christus incorrigibilem fratrem Ecclesiae denuntiari iubet; *Quod si non audierit eos; dic Ecclesiae.* Nomine Ecclesiae minime hic intelligitur fabrica illa, quam Ecclesiae titulo honoramus, sed Ecclesiarum pastores, quos in versu mox subsequente Christus alloquitur: dicens: *Amen dico vobis, quaecumque alligaueritis etc.* Neque pastores singillatim accepti nomine Ecclesiae ibi denotantur, sed collecti; collectionem namque eodem in contextu summopere commendare pergit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est; vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hisce vltimis verbis Concilia a Christo fuisse designata non obscure insinuant tum Coelestinus Pontif. in epistola ad Concilium ephesinum data, quae exstat apud Harduin Tom. I. col. 1467. tum Concilium calcedonense Actione XVI. in relatione ad S. Leonem Papam. Apostoli, quod a diuino Magistro citato loco in mandatis acceperant,

ceperant, fideliter post illius in coelos ascensum exequebantur: plures enim huiusmodi conuentus in actibus Apostolorum leguntur, inter quos principem locum tenet ille, qui Actorum XV. refertur. Conueniebant Apostoli in Ierusalem ad decidendam controversiam de legalibus praeter legem Christi obseruandis: re sufficienter discussa toti quaestioni finem imposuere solemni illo decreto: *Visum est Spiritui sancto et nobis etc.* Nec abs re hac phrasi vtebantur Apostoli: si enim Christus ibi sit, vbi duo vel tres congregati sunt, iure optimo et hic de Spiritus S. assistentia gloriabantur, vbi et Apostoli et Seniores in vnum conuenerunt videre de verbo hoc. Ad hunc certe conuentum tamquam ad normam controuersias decidendi Ecclesia omnibus retro saeculis respexit: quoticscumque aut grauius aliquod negotium occurrebat, aut frater aliquis incorrigibilis, qui peruersae suae doctrinae grana disseminare non destitit, inueniebatur, toties ferme ad conuentum Ecclesiae pastorum veluti ad iudicem prouocatum fuit, hunc vel audire debuit frater ille discolus, vel si audire detrectauit, velut ethnicus et publicanus ex mandato Saluatoris haberi coepit. Exempla huius rei tot habemus, quot recensita fuere Conciliia §. mox antecedente, Nec opponant nobis, quod in praedictis sacrae scripturae locis nullum praeceptum diuinum legatur, vt conuentus huiusmodi celebrentur. Nam respondeo, praeceptum equidem nullum haberi, quoties, qua de causa, quibus in circumstantiis conuentus Ecclesiae Praesulum sint indicendi, quae omnia Ecclesiae iudicio exasse relicta sunt; ast, vt aliqui celebrentur, praeceptum sufficiens innuunt tam adducta Christi verba de incorrigibili fratre, quam exemplum Apostolorum, qui certe alium controuersias decidendi modum non adhibuerunt, quam illum, quem ex ore diuini Magistri ad Ecclesiae conseruationem vtilissimum intellexerunt. Et sane ipsa Christi et Apostolorum facta praecepti instar nobis sint, oportet, eo praesertim casu, quo Ecclesia iisdem veluti praeceptis inhaesisse noscitur.

 §. LII.

§. LII.

Omnia, quae a Deo sunt, necessario ordinata esse debent; impium namquae foret, sapientissimum Numen operis tumultuarii authorem dicere. Concilia proin, quae a Christo Ecclesiae fundatore originem trahunt, et ad omnem deordinationem in Ecclesia tollendam instituta sunt, vel maxime legitimo ordine et conuocari, et continuari, nec non finiri oportet. Ordinata conuocatio exigit, vt fiat ab illo, qui potestatem conuocandi habet: vt vocentur isti, qui Concilio interesse tenentur: demum ipse quoque modus in conuocando legitimus seruetur.

§. LIII.

Potestatem conuocandi Concilia generalia romano Pontifici competere, tam ratio quam antiquissima possessio probat. Attamen haec assertio firmam adeo regulam haud constituit, vt ab eadem nullae dentur exceptiones.

Rationem si consulamus, sequens nobis obuia est: Summo Pontifici in persona D. Petri generalis cura commissa est pascendi, regendi non suam modo Ecclesiam, sed omnes totius orbis Ecclesias; sine exceptione enim Christus Petro in mandatis dedit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Iam nonne summi Pastoris est congregare oues? congregatis verba salutis propinare? errantes ad viam rectam reducere? fluctuantes, ne falsae doctrinae vento abripiantur, continere? quis vero alius praeter D. Petri successores simili potestatis praerogatiua umquam praeditus fuit? an Imperatores, an Reges, an Magistratus ciuiles? quibus Protestantes vna cum Iure in sacra hanc potestatem pro aris et focis vendicant. Taceo quod potestatis hisce collatae, nec iota, nec apex in S. litteris reperire sit, illud solum hic adduco, quod hodiernum

forte

forte in diem pauca aut omnino nulla Concilia generalia celebrata legeremus, si ius conuocandi Imperatoribus aut Regibus proprium foret; nondum enim apparet, quod alicuius iurisdictio tam late se extenderit, vt omnes orbis catholici partes vnius imperio ita fuerint subiectae, vt omnes Episcopi, cuicumque demum Ecclesiae etiam remotissimae praeessent, ipsius mandatis necessario obtemperare debuissent. Aliud sane est in Pontifice romano, cuius vocem audiant, oportet vniuersi, qui de ouili Christi sunt, oues namque omnes Christus Petro tradidit pascendas, dum suas sine exceptione eidem consignauit. Aliam rationem affert Bellarminus lib. I. de Ecclesiae Conciliis cap. XII. Concilium non est legitimum, nisi congregatum in nomine Christi, *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, dixit Christus Matth. cap. XVIII. congregare autem in nomine Christi, idem est, ac authorithate Christi congregare, authoritate vero Christi nemo alius congregabit nisi solus Petrus eiusque successores, qui vicaria Christi potestate in terris funguntur. Possessionem, quae pro romanis Pontificibus militat, probamus ex antiquissimo canone, quem Socrates lib. II. cap. VIII. his verbis, profert: " Ne " absque consensu romani Episcopi quidquam in Ecclesia decernatur. " Rem magis exponit Sozomenus lib. III. cap. X. " Legem esse, in" quit, pontificiam, vt pro irritis habeantur, quae praeter senten" tiam romani Episcopi fuerint gesta. " Quam legem pontificiam non agnouerunt modo, sed suo firmarunt exemplo Patres Concilii chalcedonensis, qui Dioscorum Patriarcham alexandrinum inter Episcopos sedere haud permiserunt ex ratione, " Quod sine Episcopi romani au" thoritate Synodum ausus sit facere, quod numquam factum est. " Colet Tom. IV. Concil. col. 866. Patres Concilii Constantinopolitani I. in epistola ad Damasum data ingenue fassi sunt, quod ab eodem Pontifice vocati Constantinopolim conuenerint. " Quoniam vos, dixe" runt in citata epistola, nos velut membra propria per Deo amantis" simi Imperatoris litteras accersiuistis. - - - Constantinopolim conuene" ramus, mandato litterarum superiori anno a vestra reuerentia ad Impe" ratorem Theodosium missarum. " Concilia recentiora in Occidente celebrata a romanis Pontificibus semper fuisse conuocata, fuse probat per omnia Concilia Iuenin de locis theolog. differt. IV. quaest. III.

cap.

cap. I. art. I. Imperator Valentinianus dissertis verbis testatus est, sibi non competere facultatem conuentus ecclesiasticos conuocandi, sed eam propriam esse Sacerdotibus Ecclesiae, ita enim Episcopis, vt Concilium congregaret, solicitantibus respondit: " Mihi, qui in sorte " sum plebis, fas non est, talia curiosius inquirere. Sacerdotes, " quibus ista curae sunt, inter se ipsos, quocumque loco voluerint, " conueniant. " Sozomenus lib IV. cap. VII. Ceterum minime negamus, multa Concilia orientalia ab Imperatoribus fuisse conuocata, id tamen non aliter fiebat nisi cum romani Antistitis assensu vel praecedente vel subsequente, prouti patet ex paulo ante allegata epistola Patrum in constantinopolitano primo Concilio ad Damasum Papam data. Ratio singularis, cur primis illis saeculis munus conuocandi conuentus ecclesiasticos Imperatoribus relictum sit, secus ac in posterioribus saeculis, tum ex prudenti oeconomia, qua vsi fuere romanae sedis Praesules, tum ex illorum temporum circumstantiis desumenda est: erat tunc ad praecauendas seditiones legibus Imperii cautum, ne hominum Conuentus citra Imperatoris authoritatem fierent; indigebant Patres ad Concilium concurrentes Imperatorum auxilio tam pro securitate itineris, quam pro sumtibus necessariis etc. Haec et plura alia summis Pontificibus causa abunde sufficiens visa sunt, vt hanc facultatem non modo iis relinquerent, sed implorarent etiam Imperatorum in conuocandis Conciliis assistentiam et subsidium. Quae hucusque in medium protulimus argumenta, id tantum sibi volunt, quod iure ordinario romano Pontifici competat potestas conuocandi Concilia generalia, in casibus extraordinariis facile et nos largimur, Concilia ab aliis quoque congregari posse; sic e. g. si per plures annos nullus in Pontificem eligi valeret, et periculum praesentaneum vlteriorem Concilii dilationem prohiberet: si duo aut plures forent, qui de Papatu contenderent, vbi ad abolendum schisma Concilii authoritas necessario requireretur: vel demum si legitimus quidem Pontifex adesset, is tamen, vt persona priuata est, fieret Haereticus, et pertinaciter conuocationi Concilii resisteret etc. in his certe casibus extraordinariis etiam citra authritatem vel consensum Pontificis Concilium generale indicendum esset, vel per Cardinales, qui aliunde sede vacante romanam Ecclesiam, in quantum necessitatis ratio exigit, moderantur; vel Episco-

pi

pi ipsi motu proprio in vnum conuenire, et afflictis Ecclesiae rebus afferre medelam nedum possent, sed et tenerentur; fieri enim non potest, vt Ecclesia in similibus circumstantiis necessariis destituatur subsidiis, quae ex Christi effato supra firmam petram stabilita ad consumationem vsque saeculi semper persistet inconcussa.

§. LIV.

Vt legitima sit Conciliorum conuocatio, omnes ii vocandi sunt, qui iisdem quocumque modo debent interesse. Igitur alii ad Concilium vocandi sunt tamquam iudices, alii tamquam doctores, rursus alii tamquam legitimi defensores; et demum illi, quorum opera et ministerio indigent Patres in Concilio congregati, necessario admittendi sunt.

Soli Episcopi ex Iure diuino vocandi sunt ad Concilia tamquam iudices! quia illorum est iudicare de controuersiis fidei et morum, easque definire, qui diuinitus constituti sunt Pastores et Rectores Ecclesiarum; praeter summum autem Pastorem nulli alteri id munus concessum legitur, quam Episcopis, quibus in persona Apostolorum dictum fuit Matth. cap. XVIII. *Quaecumque alligaueritis etc.* Ad solos certe Episcopos suum direxit sermonem S. Petrus epist. I. cap. V. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Item Actorum cap. XX. S. Paulus Episcopos tantum cohortatus est, dicens: *Attendite vobis, et vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc Ius diuinum vlterius colligitur ex continua et numquam interrupta Ecclesiae praxi. Iam in Concilio ab Apostolis Ierosolymis celebrato soli Apostoli controuersiam de legalibus deciderunt, praeter hos enim nemo alius in illo conuentu locutus fuisse memoratur. In Concilio nicaeno I. Episcoporum subscriptiones longa serie recensent acta istius Concilii. In Concilio chalcedonensi Aegyptii protestati sunt contra Clericos, qui illi conuentui se immiscere volebant: *Synodus Episcoporum est*, dixerunt, *non Clericorum, superfluos foras mittite.* In illis Conciliis, vbi inferiores etiam Clerici ad subscribendum admissi fuerunt,

runt, Episcopi hac phrasi in subscribendo vsi sunt: *Ego Episcopus definiens subscripsi*, dum isti solum tamquam *consentientes* suum nomen apposuerunt. Dubium superest circa Episcopos titulares, seu in partibus constitutos, an et hi vocari ad Concilia debeant, eoquod nullam habeant Ecclesiam, cuius regimen actu exerceant. Verum quum quoad characterem episcopalem nullum sit discrimen hos inter et reliquos Episcopos, probabilius iudico, titulares etiam a Conciliis nequaquam excludendos esse, tum quia assignatio certorum limitum huius vel alterius Dioeceseos non a Christo promanat, a quo in genere Apostolis eorumque successoribus data est potestas ligandi et soluendi; tum etiam quod ad regimen Ecclesiae vniuersalis nihilominus concurrere possint, licet Ecclesiam particularem, quam actu regant, habeant nullam. Votum decisiuum, quod Episcopis ex Iure diuino competit, Iure ecclesiastico Cardinalibus non Episcopis, Abbatibus, nec non Ordinum Generalibus concessum est. Rationem huius concessionis Petrus Annatus lib. V. de sacris Ecclesiae Conciliis artic. IV. sequentem assignat: Concilium generale repraesentare debet Ecclesiam vniuersalem in suis legitimis Pastoribus coadunatam; sed ad hos Pastores etiam pertinent Cardinales respectu suorum titulorum, in quibus exercent iurisdictionem quasi episcopalem, Abbates, et religiosorum ordinum Generales, qui eadem iurisdictionis specie suis subditis praesunt, ergo et isti Pastores, subinfert laudatus author, a Conciliis generalibus nequaquam excludendi sunt. Verum assignata ratio congruentiam magis, quam aliquod ius strictum probat; magis igitur ad consuetudinem aut priuilegium hac in re confugiendum est. Praeter Episcopos ad Concilia vocari etiam solent Theologi, ac Iurisperiti, quorum officium est inquirere in textus sacrae scripturae, inuestigare monumenta traditionum, antiquorum Conciliorum canones euoluere etc. Ex quibus tamquam ex limpidissimis fontibus fortissima desumant argumenta tum ad controuersias decidendas, tum ad fidei morumque regulas christiano populo praescribendas, Spiritus enim ille diuinus, qui infallibilem suam assistentiam Pastoribus in nomine Christi congregatis promisit, nulla ratione exclusa voluit media humana, moralemque diligentiam indagandae veritati apprime necessariam. Verum hi Doctores non gaudent voto decisiuo, sed consultiuo, vnde velut consentientes tantum subscribunt.

ſcribunt. Imperatores, Reges aut per ſe aut per ſuos oratores Conciliis vt interſint, inuitantur, quin et rogantur, non quidem vt iudices munere in rebus fidei et morum ibi fungantur, ſed vt Aduocatos Eccleſiae, Concilii defenſores, teſtes conditarum legum, ac earumdem ſtrenuos executores ſeſe exhibeant. *Res enim humanae aliter tutae eſſe non poſſunt, niſi quae ad diuinam Confeſſionem pertinent, et regia et ſacerdotalis defendat authoritas*, inquit Leo Pont. in can. 21. cauſa XXIII. quaeſt. V. Officiales, Scribae, Lectores, Notarii, aliique inferiores miniſtri, quorum opera Praeſules in Concilio indigent, ex Clericis inferioribus vocantur, vel ex Laicorum quoque ordine aſſumuntur. Videatur Catalogus tridentini Concilii, in quo Legati pontificii, Oratores tum eccleſiaſtici, tum ſaeculares, Patres, Theologi, Officiales in hoc conuentu praeſentes accurate recenſentur.

§. LV.

Omnes Epiſcopos ex Iure diuino a Pontifice romano ad Concilia vocari debere extra dubium eſt: aſt quis modus in conuocando ſit adhibendus, vt ſingulis vocatio innoteſcat, ſcrupulo haud caret. Praxis et obſeruantia illum modum confirmat, quo non ſinguli Epiſcopi immediate, ſed mediate tantum per ſuos Metropolitas vocantur.

Longiſſimo ſaepe temporis tractu opus foret, ſi ad omnes Epiſcopos in remotiſſimis orbis catholici partibus degentes litterae encyclicae eſſent dirigendae, hinc illae primario tantum ad Primates et Metropolitas diriguntur, quorum deinde officium erit, easdem Suffraganeis ſuis communicare, nec non, vt ad deſignatum terminum ceſſante legitimo impedimento compareant, adhortari. Saepiſſime in Conciliis generalibus factum fuiſſe legimus, quod Epiſcopi impedimento detenti Procuratores ſuos miſerint, quorum tamen diuerſa ratio fuit pro diuerſitate Conciliorum, quae vel in Oriente vel in Occidente habebantur: in iſtis Procuratores, quamuis Presbyteri tantum eſſent, ad eumdem ſeſſionis, ſuffragii, et ſubſcriptionis ordinem recipiebantur

tur, qui debitus fuisset ipsis Episcopis absentibus, si ipsimet comparuissent. In his vero delegati Episcoporum voto quidem decisiuo gaudebant, non tamen cum Episcopis sedebant, nec cum ipsis subscribebant, prouti ex actis Conciliorum orientalium et occidentalium patet.

§. LVI.

Praeter conuocationem, vt Concilium oecumenicum sit, legitima etiam celebratio requiritur, haec vero tria inuoluit: *Primo*, vt vnus Concilio praesit, qui totum negotium authoritatiue dirigat. *Secundo*, vt adsint in numero competenti Episcopi, qui soli, exclusis Laicis, tamquam iudices diuinitus constituti in Concilio sedeant. *Tertio*, vt modus quoque procedendi in Conciliis sit legitimus.

§. LVII.

Munus praesidendi Conciliis Catholici ex eadem ratione romanis Pontificibus adscribunt, ex qua iisdem Ius conuocandi vendicant. Quum enim successores D. Petri sint Pastores vniuersalis Ecclesiae vel in Conciliis congregatae, vel extra Concilia dissperſae, nulli alteri quam hisce id munus proprium esse potest. Neque requiritur, vt Pontifex semper ipsemet praesens sit, ac dirigat, sed antiquissima praxi etiam per Legatos a se missos Concilio praesidere intelligitur.

Si nulla alia ratio pro romanis Pontificibus militaret, antiquissima certe possessio eosdem legitimos Conciliorum Praesides palam loqueretur. Vt taceam Synodum Ierosolymis ab Apostolis et Senioribus celebratam, in qua Petrus veri Praesidis munus exercuit, testantur luculenter, quod res est, Synodi generales in Oriente congregatae. In *Nicaena*

caena I. Pontificis nomine *Osium* cordubensem Episcopum, *Vitum* et *Vincentium* Presbyteros praesedisse, ex eo patet, quod primi omnium etiam ante Patriarchas subscripserint. De Constantinopolitano I. quaedam difficultas oboritur, eoquod nullus a Pontifice Legatus ad hoc Concilium missus legatur. Verum hoc Concilium, quod ab initio solius Orientis erat, tum primum generale et oecumenicum euasit, postquam Damasus cum suo Concilio romano eodem tempore et eadem de causa habito accessit, illiusque decreta approbauit. Romano Concilio ipse Damasus praesedit. In Concilio ephesino Cyrillum alexandrinum Coelestini I. Pontificis nomine Praesidem fuisse disserte exprimitur in actione I. huius Concilii: " Considentibus in sanctissima Ecclesia, quae appellatur Maria, religiosissimis et sanctissimis Episcopis *Cyrillo Alexandriae*, qui et *Coelestini* sanctissimi, sacratissimique *romanae Ecclesiae Archiepiscopi locum obtinebat etc.* " De chalcedonensi Synodo palam est, quod eidem Leo Papa per suos legatos Paschasinum et Lucentium Episcopos, ac per Bonifacium et Basilium Presbyteros praesederit. " In his fratribus (inquiebat Leo in epistola ad Synodum chalcedonensem data) qui ab apostostolica sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimet praesidere. " Cui reposuerunt Patres ibidem congregati in epistola ad eumdem data: " Tu quidem sicut membris caput praeeras in his, qui tuas vices obibant. " Synodus vniuersalis V. seu Concilium constantinopolitanum II. nouam difficultatem affert. Erat tempore huius Concilii Vigilius Pontifex in vrbe constantinopolitana praesens, nec tamen, rogatus licet, eo permoueri potuit, vt siue per semet ipsum, siue per legatos a se missos Concilium accederet, atque in eo Praesidis munus obiret. Ast nemo aequus rerum arbiter in hoc concludet, Vigilio non competiisse ius praesidendi indicto Concilio, quia praesidere noluit; inuerti potius hunc in modum oportet argumentum: Vigilius, vt praesideret, saepius ab Episcopis rogatus fuit, ergo hoc ipso Patres in Concilio congregati sat luculenter ostenderunt, praesidium Episcopis romanis proprium esse debere. Volebat Vigilius ob singulares, quibus mouebatur, rationes acta Synodi constantinopolitanae decreto potius quam sua praesentia comprobare, quin exinde Iurium suorum aliquam iacturam timeret. Ad subsequentia Concilia quod attinet, non

est, cur longius iisdem recensendis immoremur; acta enim illorum iam sufficienter ostendunt, an Pontifex ipse, an Legati pontificii iisdem praesederint. Verum iste Conciliorum Praeses, quem Catholici assignant, non aeque a Protestantibus probatur. Volunt hi, et quidem satis conuenienter suis principiis, ordinarium Conciliorum Praesidem esse debere Imperatorem vel alium ab Imperatore missum, hunc, inquiunt, et non alium omnia Concilia in Ecclesia orientali congregata commendant. Quod ex inductione singulorum Conciliorum probare nituntur. Vt hanc difficultatem soluamus, duplex distinguere praesidium oportet. Vna quasi materialis est, et praeter locum honoratiorem in Conciliis aliud importare videtur nihil. Altera vero proprie dicta consistit in potestate praescribendi rerum tractandarum legitimum ordinem et modum, nec non dandi suffragium, vt vocant, informatiuum. Priori modo Imperatores in Oriente Conciliis praesedisse, nemo est, qui neget: venerabatur certe Ecclesia Imperatores tamquam legitimos suos defensores, et Aduocatos, vnde merito primum iisdem cessit locum, vt sua authoritate pacem in Synodis conseruarent, rebelles in officio continerent, omnesque tumultus, quoad fieri poterat, praecauerent. Et hoc praesidium ipsimet Imperatores tum verbis tum factis sibi competere fassi sunt. Theodosius Imperator comitem misit ad Concilium ephesinum, vt omnia pacifice et ex ordine in eo gererentur: " Candidianum, inquit epistola ad Synodum ephesinam, ad vestram " Synodum abire iussimus, vt monachos et saeculares, qui huius " spectaculi causa eo nunc confluxerunt, et confluent, ab illa ciuitate submoueat; ac prospiciat, ne qua grauior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, Synodi consultationem et veritatis indagationem obturbet. " Qualiter Constantinus Pogonatus sextae Synodo generali praefuerit, ipse exprimit in epistola ad Gregorium Papam, inquiens: " Neque cum illis (Episcopis) tamquam Imperator sedebo, " aut imperiose loquar; sed tamquam vnus ex illis, et prout statuerint " Pontifices, ego exequar. " Potestatem dirigendi, ferendi que suffragium tam longe abest, vt aliquis Imperatorum sibi arrogauerit, vt potius vltimi voluerint esse in subscribendo. De Basilio Imperatore testatur Synodus VIII. act. VII. quod ad exemplum suorum Praedecessorum vltimus velit subscribere: ita enim sonant verba praedictae Synodi:

" Tran-

" Tranquilliſſimum imperium noſtrum praecedentes et iuſtiſſimos Im-
" peratores Conſtantinum videlicet Magnum et Theodoſium, et Mar-
" cianum ac ceteros - - - vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium
" ſanctiſſimorum Vicariorum. " Bellarminus de Conciliis et Eccleſia militante lib. I. cap. XIX. De Conſtantino Magno aliunde conſtat, quam alienus fuerit ab vſurpatione ſimilis cuiusdam poteſtatis, qui ne ſedere quidem in humili ſua ſella prius voluit, quam Epiſcopi ei innuiſſent. Euſebius in vita Conſtantini lib. III. cap. X.

§. LVIII.

Quamuis inter Catholicos difficultas ferme nulla ſuperſit de Praeſide Conciliorum, quum Galli aeque ac ceteri romanum Pontificem legitimum Conciliorum Praeſidem vno ore venerantur, attamen, quinam huius praeſidii effectus ſint, difficillinum eſt aſſignare; ſi enim Pontifici, qui Concilio praeeſt, ſummam in definiendo poteſtatem tribuamus, perit libertas Epiſcoporum in dandis ſuffragiis deciſiuis: ſi vero hanc libertatem defendamus, reſultabit omni modo aequalitas inter Praeſidem Concilii, et Epiſcopos ibidem congregatos. Nos, vt ſuum cuique tribuamus, reſoluimus, romano Pontifici tamquam Praeſidi competere ius relationis in Concilio cum praerogatiua ſuffragii, ex qua reſolutione et ſuffragiorum libertas et Praeſidis ſimul conſeruatur authoritas, et praeeminentia.

Relatio, quae Praeſidi in Concilio propria eſt, non nuda et ſterilis eſſe debet, ſed ſtabilita argumentorum pondere. Oportet itaque, Pontificem res controuerſas iuxta ordinem in Concilio proferre, quae ſua deſuper ſit ſententia, palam edicere, eamdemque ex ſcriptura et traditone corroborare, cui ſi poſtmodum et conſenſus Patrum acceſſerit,

pro-

proprie dictum consurget statutum conciliare. Hoc ius relationis cum praerogatiua suffragii tanti momenti est, vt ea, quae in huiusmodi conuentibus concluduntur, *authore Praeside* fieri optime dicantur, prout id exemplo Imperatorum, qui pariter in senatu tale ius exercebant, pulchre illustrat Petrus de Marca de concord. Sacerdotii et Imperii lib. V. cap. VII. Haec sententia ex eo nobis quam maxime probatur, quod Episcopi in Concilio veri sint iudices, voto gaudeant non consultiuo, sed vere decisiuo, cui nulla ratione locus esse posset, si praecise, quod vult Pontifex, amplecti tenerentur. Praeterea nec authoritati pontificiae ex hac sententia quidquam decedit, partim, quia nullus Episcoporum in Concilio hac relationis simul et suffragii praerogatiua praeditus est, ex quo Pontifex satis ab Episcopis in Concilio decidentibus distinguitur, partim etiam, quod eidem saluum adhuc remaneat ius confirmandi ea, quae in Conciliis agebantur.

§. LIX.

Numerus Episcoporum, quot nempe illorum Conciliis interesse debeant, vt generale sit, adeo accurate definiri nequit; quum in Conciliis, quae hactenus celebrata legimus, et pro generalibus indubitate habemus, numerus Patrum mire variauit. Regulae itaque instar dicimus, quod talis ex vtraque Ecclesia adesse debeat Episcoporum numerus, vt moraliter Ecclesia vniuersalis congregata censeatur.

Vt omnes totius orbis catholici Episcopi compareant, nec consultum, nec semper possibile foret; alii enim viarum distantia arceantur, alii senectute aut infirmitate impediri possunt, et alii absque proprii gregis detrimento ad longius tempus a sua Ecclesia abesse non possunt. Sufficiet ergo, si omnes legitime fuerint vocati, nullusque, qui in communione Ecclesiae catholicae est, contemtus sit. In Concilio lateranensi sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. Viennensi

nensi sub Clemente V. ac Tridentino frequentes aderant Episcopi ex toto Occidente, pauci duntaxat ex Oriente. In Conciliis orientalibus vice versa plurimi semper aderant ex omnibus prouinciis Orientis, non nulli tantum ex Occidente, qui tamen et absentium supplebant locum.

§. LX.

Quum generale Concilium vniuersam repraesentare debeat Ecclesiam, inferre volunt Nouatores, non Episcopos modo ceterosque Clericos, sed Laicos saltem doctiores etiam ad Concilia tamquam iudices admittendos esse. Hoc suum assertum probant tum authoritate Concilii hierosolimitani, tum etiam ratione. Verumtamen non obstantibus his fundamentis Catholici constanter huic sententiae sese opponunt.

Praeter Apostolos et Seniores Laicos etiam Concilio ierosolymitano interfuisse, ex actibus Actibus Apostolorum Constat. Cap. XV. ✝ 22. S. Lucas electionem illorum, qui Antiochiam cum Paulo et Barnaba mittebantur ita refert: *Tunc placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis etc.* nomine autem *omnis Ecclesiae* certe non Pastores tantum, sed et reliqui fideles intelligendi sunt. Verum ex hac nuda praesentia nondum legitime infertur, quod intendunt Aduersarii; aderant in illo conuentu Laici non tamquam iudices instar Apostolorum, sed ut auditores tantum, nullibi enim in toto contextu alius praeter solos Apostolos locutus fuisse recensetur, ceteros omnes tacuisse et audiuisse Pastorum sententias, sacer textus commemorat eodem capite v. 12. *Tacuit autem omnis multitudo, et audiebat Paulum et Barnabam etc.* Soli Apostoli et Seniores conuenerunt ad dirimendam illam de legalium obseruantia controuersiam: *conueneruntque Apostoli et Seniores videre de verbo hoc.* v. 6. Hi soli ad fratres ex gentibus scripserunt, atque decretum conciliare iisdem promulgarunt: *Apostoli et Seniores fratres his, qui sunt Antiochiae et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus salutem. - - - Visum est Spiritui sancto et nobis*

bis etc. v. 25. et 28. Si dicas: ea, quae in hoc Concilio statuta fuerunt, non tantum Apostolorum et Seniorum voluntate ac placito statuebantur, sed voto totius Ecclesiae, id est, fidelium omnium ibi praesentium consensu, *placuit* enim *Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia etc.* Respondeo, to *placet* hoc in loco minime indigitare votum aliquod decisiuum, sed magis consensum tacitum omnis multitudinis praesentis et tacentis, ex qua taciturnitate omnino colligi poterat, omnem Ecclesiam in conuentu ierosolymitano congregatam approbare ea, quae ab Apostolis decreta sunt. Si enim fideles instar Apostolorum votum aliquod decisiuum habuissent, illud certe D. Lucas haud praetermisisset, qui tam accurate narrat omnia, quae in hoc Concilio gesta sunt. Addo insuper, quod in citato textu sermo non sit, quod omni Ecclesiae placuerit controuersiam tali modo decidere, sed tantum *placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam etc.* Controuersia, quae obiectum huius Concilii erat, antea iam ab Apostolis decisa fuit, et hic solum agebatur de seligendis iis, per quos decisio ista promulgari deberet; promulgatio vero ipsa iterum nomine Apostolorum et Seniorum tantum facta est. Rationes, quibus nituntur Aduersarii, potissimum sequentes sunt: *Prima:* Concilium generale debet vniuersalem Ecclesiam repraesentare, ergo ex omni hominum genere aliqui Conciliis intersint, necesse est. *Secunda:* Causa communis communibus quoque votis decidenda est; causam vero fidei et morum omnibus christianis communem esse quis negabit? *Tertia* ratio, quam Brentius in Confessione vvittenbergica capite de Conciliis vehementer vrget, est, quod nonnumquam vnius docti Laici sententia multorum Episcoporum, immo et totius Concilii iudicio praeponenda sit, si scripturarum authoritate magis fulciatur. Panormitanus in cap. *Significasti* de electione, et Ioannes Gerson parte I. de examinatione doctrinarum eiusdem mentis esse videntur: primus namque dicit: vnius priuati sententia praeponenda est sententiae Papae, si ille priuatus moueatur melioribus authoritatibus testamenti veteris et noui. Alter vero docet, quemcumque hominem doctum posse et debere toti Concilio resistere, si videat illud ex malitia vel ignorantia errare. Verum ad has ratiunculas haud difficulter respondent Catholici; ad primam dicunt, quod Ecclesia vniuersalis per suos Pastores ita repraesen-

tetur

tetur in Concilio generali, ſicuti omnis populus aut tota prouincia repraeſentatur in comitiis generalibus per Principes aut ſtatus prouinciales. Quilibet enim Epiſcopus perſonam gerit ſuae Eccleſiae, quia teſte S. Cypriano lib. IV. epiſt. XIX. Eccleſia in Epiſcopo eſt. Quam parum ergo Aduerſarii inferre praeſumunt, omnes omnino in comitiis praeſentes eſſe debere, tam parum id de vniuerſalibus Eccleſiae conuentibus Catholici admittere queunt. Ad ſecundam rationem eadem inſtantia dari poſſet; quia in comitiis quoque negotia tractantur, quae omnes concernunt, quin tamen ad eadem definienda omnium iudicium aut deciſio accedere debeat. Dein cauſa fidei et morum communis equidem eſt, ſed ſub diuerſa plane ratione: pertinet illa ad Epiſcopos et Paſtores tamquam Doctores et Iudices, ſpectat etiam ad Laicos, aſt tantum in hoc ſenſu, vt veluti diſcipuli eidem ſeſe conforment. Ideo fideles in praememorato Concilio Ieroſolymitano non loquentes, ſed tacentes et auſcultantes a S. Luca referuntur. Ad tertiam rationem, neque Catholici negant, quod docti quoque Laici admittendi ſint ad Concilia generalia tamquam Conſultores et Doctores, quales ſat multi interfuere tridentino Concilio, prouti ex catalogo Legatorum, Patrum, Oratorum et Theologorum eidem Concilio ad calcem ſubiecto liquet. Verum ob hanc eminentem doctrinam, quae in Laicis reperitur, non illico ſequitur, eosdem etiam debere eſſe iudices! " Quoniam teſte Gratiano diſtinct. XX. in negotiis definien" dis non ſolum eſt neceſſaria ſcientia, ſed etiam poteſtas. " Hanc vero poteſtatem non omnibus, ſed illis ſolum conceſſam eſſe, qui conſtituti ſunt Paſtores, et Rectores Eccleſiarum, et ſcriptura docet, et Apoſtoli Hieroſolymis congregati ſuo exemplo confirmant. Ad dictum Panormitani et Gerſonis breuiter reponitur, vel eos tantummodo loqui de reſiſtentia, quae fit Concilio aut Pontifici tempore diſcuſſionis, antequam controuerſia authoritatiue deciditur, vel intellexiſſe Concilium, quod legitimum non habuit exitum, quo in caſu nec Catholici eiusdem authoritati aſſurgunt. Poſteaquam vero omnia ſynodali iudicio legitime diſcuſſa deciſaque ſunt, priuatus quacumque demum ſcientia inſignis ſit, humiliter Concilio ſe ſubiicere obligatur.

§. LXI.

Vt ex modo quoque procedendi Concilium legitimum sit, alia obseruanda sunt quoad ordinem et ceremonias, quae tum ante Concilium, tum durante Concilio attendi debent, et alia, quae spectant ipsarum controuersiarum decisionem.

Ad praeliminaria et ordinem in Concilio seruandum sequentia pertinent. Indictio solemnis ieiunii et publicatio diei, quae pro Concilii exordio designata est. Hac die praesente collectisque in vnum Patribus, solemnis fit deductio Episcoporum tum habitu episcopali tum aliis insigniis indutorum ad Ecclesiam, in qua diuina peraguntur, quibus peractis inuocataque Spiritus sancti gratia populus foras mittitur, clausisque Ecclesiae ianuis Patrum quiuis suo considet loco. His considentibus legitur Bulla indictionis, nec non leges in Concilio seruandae promulgantur; fit electio Officialium, inter quos sunt *Consultores*, qui Legatis Praesidibus assistunt; *Notarii*, qui singula in scripturam redigunt; *Promotores*, qui culpas et transgressiones eorum, qui Concilio intersunt, obseruant; *Scrutatores*, qui singulorum vota excipiunt, et in scriptis ad mensam Consultorum referunt numeranda etc. quibus peractis Principum Oratores admittuntur. Omnibus iam hunc in modum compositis tandem ad actuale rei controuesae examen proceditur, rationes ex vtraque parte audiuntur, et, ne temere ad definitiuam sententiam Patres procedere videantur, statuitur competens terminus deliberandi ab vna ad alteram vsque sessionem, deliberatione finita, quaestiones dubiae diciduntur, ac post Conciliorum definitionem subsequuntur Patrum acclamationes, quales in tridentino Concilio factas ipsa huius Concilii acta ad calcem exhibent. Eleuauit ibi Cardinalis a Lotharingia in hunc modum vocem suam: *Beatissimo Pio Papae, et Domino nostro sanctae vniuersalis Ecclesiae Pontifici multi anni et aeterna memoria.* Cui respondebant Patres: *Domine Deus, sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiae tuae conserua in multos annos etc.* In fine denique Patres Concilio subscribunt, actaque confirmantur et promulgantur. Notabile est, quod in tridentina Synodo

nodo a Legatis et Praesidentibus sub poena excommunicationis omnibus Patribus iniunctum fuerit, vt, antequam discederent a ciuitate tridentina, subscriberent manu propria decretis Concilii, aut ea per publicum instrumentum approbarent, hinc vniuersi ibidem praesentes tam Episcopi, quam Abbates ac Ordinum Generales numero CCLV. eidem Concilio subscripsere. Plura, quae ad ordinem, sessionem, habitum Episcoporum in Synodo pertinent, affert Ioannes de Turrecremata lib. III. cap. XXVI. et sequ.

§. LXII.

In decidendis tum fidei tum morum Controuersiis solet Ecclesia in Conciliis congregata quam cautissime semper procedere, ne quid ex parte sua desiderari valeat, quod humana diligentia praestare et potuisset et debuisset. Hinc, quum nouae reuelationes amplius expectandae haud sint, ad reuelationes in Scriptura sacra et Traditione contentas confugit, atque ex iisdem fidei dogmata decidit. In rebus vero morum praeter Ius diuinum insuper naturale et ecclesiasticum attendit, quodque his conforme inuenit, tamquam stabilem morum regulam fidelibus proponit, illud autem, quod ab his legibus alienum reperit, velut corruptelam damnat.

Bene hic distinguendum est inter dogmata fidei *speculatiua*, et *practica*, quae Ecclesia definire intendit. Dogma speculatiuum illud est, quod nullam cum praxi externa connexionem habet, sed praecise interne firmiter credi debet, quale est dogma de diuinitate Christi, de Processione Spiritus sancti etc. Practicum autem illud appellant, quod praeter fidem actum quoque exteriorem habet coniunctum, E.g. dogma de baptizandis infantibus, de bonis operibus etc. Circa dogma speculatiuum decidendum Concilia praeprimis sacram scripturam consulunt,

in qua, si reuelatio manifesta non appareat, vlterius summo studio inquirunt in sensum et mentem sanctorum Patrum, examinant quam diligentissime, quid quiuis illorum ea de re, de qua controuertitur, senserit, et si vnanimem demum eorum consensum deprehenderint, satis secure procedunt ad ipsam dogmatis controuersi decisionem; est enim vnanimis illorum consensus firmissimum argumentum diuinae reuelationis, quae, licet in sacris libris expressa non sit, nobis tamen per hos fidissimos Traditionum sacrarum testes conseruata, legitimeque communicata fuit §. XLI. *in regula quarta.* Vt haec inquisitio laboriosa et difficilis eo feliciorem consequatur effectum, Ecclesia consueuit praevias instituere Congregationes, quibus viri omnigena scientia conspicui intersunt, vt pro sua eruditione et doctrinae profunditate quaestiones dubias discutiant, rationes in vtramque partem conquirant, conquisitas ad plenum Concilium referant. Facta relatione res in Concilio de nouo examinatur ab Episcopis, qui, si de reuelatione sufficienter constare iudicauerint, finali iudicio eamdem decidunt, aut ad aliud tempus referuant decidendam, tunc nimirum, quando clara satis tam scripturae quam Traditionis monumenta allata nondum sunt. In definiendis dogmatibus practicis, si ex verbo Dei tum scripto tum tradito ea decidi nequeant, insuper Concilia confugiunt ad continuam et nullo aeuo interruptam Ecclesiarum apostolicarum praesertim praxin et obseruantiam; eoquod maxime credibile sit, hunc operandi modum, quae forte in hac Ecclesia a quodam Apostolorum erecta tam constanter viguit, ab illo ipso primo fundatore descendere. Hunc in modum decisa est controuersia de celebrando Paschate, circa quam Ecclesia romana incessanter prouocauit ad Traditionem, quam a tempore ipsius Principis Apostolorum promanare inuictis argumentis ostendit, ac in fine etiam feliciter triumphauit. Quod praeter Ius diuinum et naturale etiam Canones ecclesiasticos in subsidium vocent Patres in Conciliis, si caput aliquod ad mores pertinens decidi debeat, mirum minime est: sunt enim Canones isti multiplicis generis ex §. XIII. differt. I. quorum aliqui non nisi Ius naturale continent, illudque explicant, atque ad casus particulares applicant. Hi Canones, quum instar Iuris naturae immutabiles sint, dubio procul securissimam morum regulam nobis exhibent, et Ecclesia in diiudicandis morum controuersiis eosdem iure mirito prae

oculis

oculis habet. Simile iudicium eſt de Canonibus, qui hac de cauſa mixti dicuntur, quod aliquid ex Iure diuino et naturali, aliquid etiam ex Iure mere eccleſiaſtico admixtum habeant. Quoad partem priorem aeque firma morum regula ex iis deſumitur, ac ex prioribus, quae non niſi Ius diuinum et naturale continent ac explicant. In ſtatuendis diſciplinae eccleſiaſticae regulis amplior eſt Eccleſiae authoritas, poteſtque pro circumſtantiarum exigentia quaedam capita antiquare omnino, alia abolitis ſubſtituere, aut ſaltem ita immutare, vt in omnibus tum fidelium tum ſalutis totius Eccleſiae ſumma habeatur ratio. Quum vero eadem nonnumquam res ſub diuerſa ratione ad dogma ſimul et ad diſciplinam ſpectare queat, Eccleſia ſemper omni diligentia praecauere ſolita eſt, ne cum diſciplina et ipſum dogma immutaret: eoquod ad hoc immutandum nullam ſibi competere poteſtatem pro certo agnouit.

§. LXIII.

Non conuocatione tantum ac celebratione, ſed exitu etiam Concilium debere eſſe legitimum, res ipſa loquitur: ad hoc vero, vt Concilium legitime finiatur, maximopere pertinet libertas Patrum et ſuffragiorum, quae ſi abſit, opus tumultuarium magis quam Spiritus ſancti reſultabit. Oportet inſuper, vt ea, quae in Conciliis acta fuerunt, a legitima poteſtate approbentur, quam ſummo illi Paſtori romano Pontifici propriam eſſe fatemur.

Ex defectu primae conditionis multa Concilia conuocatione ſatis ſpectabilia in Conciliabula deſiere, quia nempe Haereticorum violentia, cominationibus, immo et occiſionibus libertas Patribus non reſtricta modo, ſed omnino ademta fuit: exemplum eſt in Conciliabulo epheſino II. in quo factione Dioſcori Patriarchae alexandrini occiſus eſt S. Flauianus Epiſcopus conſtantinopolitanus, Legati apoſtolici fugati, Eutyches abſolutus, illiusque haereſis confirmata, ſancti Epiſcopi damnati etc. vnde merito omnia huius Conciliabuli acta a S. Leone in Con-

cilio

cilio chalcedonensi fuerunt reprobata, et hodiernum vsque in diem non nisi *praedatoria Synodus* et *latrocinium ephesinum* audit. Approbationem Conciliis generalibus accedere debere tam ratio, quam continua praxis docet. Rationem si consulamus, ea nobis dictat, non quibuslibet Conciliis promiscue fidem esse adhibendam, sed illis duntaxat, quae in nomine Christi congregata sunt, et in quibus omnia ordinate, et modo legitimo fuere pertractata: assistentia enim Spiritus sancti, qui Spiritus pacis et vnitatis est, tumultuariis conuentibus nullibi in scripturis diuinis promissa legitur. Iam autem quomodo constare nobis poterit, quae Concilia praecise pro legitimis haberi debeant? quinam conuentus adeo ordinate sint congregati, vt genuinas ex illis fidei et morum regulas haurire valeamus, nisi aliquis authoritatiue declaret, istud ipsum Concilium fuisse in nomine Christi congregatum, legitime continuatum, et rite demum ad finem perductum? Haec approbatio adeo necessaria est, vt absque ea Concilium tamquam generale et legitimum ab Ecclesia vniuersali numquam acceptaretur. Exemplo sint duo Concilia constantinopolitana I. et II., quae vim authenticam tunc primum habere credebantur, quando accessit confirmatio pontificia. De Concilio Pisano, Basileensi, Constantiensi adhuc hodie dubitatur, an et in quantum oecumenicis adnumerari debeant? rationem dubitandi praecipue subministrat defectus approbationis pontificiae, quae his Conciliis aut nullo modo, aut quadam sub restrictione accessit. Verum difficultas tanta non est circa approbationis necessitatem, maior longe sese prodit circa personam approbantis, cui nimirum potestas approbandi sit adscribenda. Protestantes Imperatoribus, Galli, moderni praesertim, Ecclesiae vniuersali vel in Concilio congregatae vel dispersae, decreta tamen conciliaria sine contradictione acceptanti, Itali cum Germanis plurimis romano Antistiti hoc ius vendicant, posteriorum sententiae et nos subscribimus, sequentibus ducti fundamentis. Primum ex eo desumimus, quod Concilium repraesentare debeat totam Ecclesiam in idem fidei dogma conspirantem, haec autem conspiratio vniuersalis Ecclesiae minime haberetur, nisi capitis praecipue adesset authoritas et consensus; sine capite enim Ecclesia corpus monstrosum foret, et Concilium merito acephalum dicendum esset. Iam vero hic ipse consensus

ſenſus a Pontifice aut praeſente in Concilio datus, aut poſt aliquod interuallum ab abſente Eccleſiae manifeſtatus approbationis loco nobis eſt. Alterum fundamentum ſubminiſtrat continua perſuaſio ipſius Eccleſiae, quae neceſſariam ſemper credidit romani Pontificis ratihabitionem. Conſtat hoc ex Concilio nicaeno I. in quo Patres ad S. Syluestrum Pontificem ita ſcripſerunt: " Quidquid conſtituimus in Concilio, pre- " camur veſtri oris conſortio confirmetur. " Colet collect. Concil. Tom. II. col. 79. Eadem ratione Patres Conſtantinopoli congregati a Damaſo confirmationem petierunt. " His rebus omnibus legitime " ſecundum Eccleſiae Canones a nobis conſtitutis, obſecramus veſtram " Reuerentiam, vt congratuletur. " Colet cit. loco col. 1149. Epiſcopi epheſinae Synodi ita allocuti ſunt Coeleſtinum romanum Antiſtitem: " Quia vero neceſſe eſt, vt omnia, quae conſecuta ſunt, ſanctitati " tuae ſignificentur; non potuimus non ſcribere. " Colet Tom. III. col. 1187. De Synodo chalcedonenſi apud eumdem Colet aliud teſtimonium legitur Tom. IV. col. 1779. vbi verba Patrum Chalcedone congregatorum ad Pontificem haec refert. " Rogamus, et tuis decretis " noſtrum honora iudicium, et ſummitas tua filiis, quod decet, adim- " pleat. " Hanc confirmandi poteſtatem, quam romanis Pontificibus veluti propriam ratio vendicat, et continua Eccleſiae perſuaſio ſtabilit, antiquiſſima poſſeſſio inſuper tamquam indubitatam nobis manifeſtat. Quod Concilium nicaenum I. approbarit Sylueſter Pontifex, eiusdem epiſtola ad hoc Concilium data teſtatur, nec non Synodus romana III., cuius verba Binius Tom. I. part. I. collect. Conc. fol. 364. haec recenſet. " Sylueſter Epiſcopus ſanctae et apoſtolicae ſedis vrbis " Romae dixit: Quidquid in Nicaea Bythiniae conſtitutum eſt, ad ro- " bur ſanctae matris Eccleſiae catholicae et apoſtolicae a ſanctis ſacer- " dotibus trecentis decem et octo noſtro ore conformiter confirmamus. " Damaſum confirmaſſe Synodum conſtantinopolitanam I. tradit Photius in libello de ſeptem Synodis, et ſanctus Gregorius, qui lib. VI. epiſt. 125. diſſertis verbis exprimit, quid in hoc Concilio probatum quid reprobatum fuerit, ita enim eius verba ſonant: " Canones quidem conſtan- " tinopolitani Concilii Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum " author Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Eccleſia eosdem " Canones vel geſta Synodi illius, hactenus non habet nec accipit. In

"hoc

" hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Mace-" donium definitum. Reliquas vero haereses, quae illic memoratae " sunt, ab aliis iam Patribus damnatas reprobat. " Synodus generalis tertia seu ephesina a Coelestino confirmata fuit, quod tum ex ipsius epistola apud Binium Tom. I. part. II. pag. 478. tum ex commonitorio eiusdem Pontificis a Baluzio edito discimus. Videatur Francisci Pagii Breuiarium romanorum Pontificum in vita Coelestini §. XXIII. Quartam Synodum oecumenicam Chalcedone habitam Leo Pontifex partim ratam habuit, partim improbauit. Ea, quae ipsi probanda videbantur, enarrat in epistola LXI. ad eamdem Synodum his verbis: " Omnem " quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctae " Synodi, quae ad confirmationem fidei in chalcedonensi ciuitate cele-" brata est, toto corde me fuisse complexum. " Primatus autem, qui in hac Synodo sedi constantinopolitanae contra antiquorum Canonum statuta deferebatur, in epistola LV. Leonis ad Pulcheriam reprobatur, ita enim scribit: " Consensiones Episcoporum et sanctorum Canonum " apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, vnita nobis cum " vestrae fidei pietate, in irritum mittimus, et per authoritatem B. Petri " Apostoli generali prorsus definitione cassamus. " Binius Tom. II. Concil. part. I. pag. 410. Licet Concilio generali quinto seu Constantinopolitano II. Vigilius Pontifex interesse noluerit, illud tamen postmodum approbasse docet Euagrius lib. IV. cap. XXXVII. Nicephorus lib. XVII. cap. XXVII. Photius libello de septem Synodis. Approbationem tum huius, tum antecedentium omnium Synodorum innouauit sanctus Gregorius epist. XXIV. ad Ioannem constantinopolitanum Episcopum inquiens: " Sicut sancti Euangelii quatuor libros, sic qua-" tuor Concilia venerari me fateor: quintum quoque Concilium pari-" ter veneror, in quo epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena re-" probatur: et Theodorus personam mediatoris in duabus subsisten-" tiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Scripta " quoque Theodoreti, per quae S. Cyrilli fides reprehenditur, ausu " dementiae prolata refutantur. Cunctas vero, quas praefata Conci-" lia veneranda personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplec-" tor, quia dum vniuersali consensu sunt constituta, se, non illa destruit, " quiquis praesumit aut soluere, quos ligant, aut ligare, quos soluunt.

" Quis-

" Quisquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. " Binius Concil. Tom. II. pag. 173. Hanc poſſeſſionem Iuris confirmandi Concilia generalia poſſemus per ſubſequentes etiam Synodos probare, niſi de antiquitate eiusdem ex his iam ſatis conſtaret. Contendunt equidem Adverſarii, quod Imperatores non raro ſuam approbationem, quam ſaepius Patres ipſi in Conciliis efflagitabant, addiderint, idque exemplis plurimis confirmant. Verum longe diſpar ratio eſt inter approbationem imperatoriam, et romanorum Pontificum: illa erat mere extrinſeca et potius miniſterialis, ac exſecutoria, haec vero ita neceſſaria, vt antequam accederet, neque Concilium pro oecumenico habitum fuerit, vt paulo antea oſtendimus. Interim tamen approbationem imperatoriam Conciliis ſumme vtilem eſſe inſinuat Leo Pontifex Can. 21. cauſa XXIII. quaeſt. V. dum ait: " Res humanae aliter tutae eſſe non poſſunt, niſi, quae " ad diuinam confeſſionem pertinent, et regia et ſacerdotalis defendat " authoritas. " Quousque autem ſeſe extendere debeat poteſtas Imperatorum circa Concilia, ipſe Imperator Baſilius definit in Oratione ſat prolixa habita in Concilio conſtantinopolitano IV. act. X. Ne Gallorum amplectamur ſententiam, ſpecialis absterret difficultas: vel enim in illorum ſyſtemate Eccleſia congregata vnanimi conſenſu deberet Concilium approbare, vel attenderentur tantum vota maiora? ſi vnanaimis requiratur approbatio, forte numquam conſtabit de legalitate Concilii, eoquod ſemper aliqui ſint, qui decretis conciliaribus ſe opponent. Si maiora ſolummodo ſpectemus vota, neſcio plane, cur multa Concilia pro indubitatis non recipiantur, in quae tamen certe maior pars Patrum conſenſerat: ipſimet edicant Galli, cur Concilium lateranenſe V. in numero Conciliorum oecumenicorum recenſere nolint? an deerat votorum pluralitas? multo adhuc minus placet acceptatio Eccleſiae diſperſae, vt ea legitimae approbationis inſtar ſit: quanto tempore opus foret, vsque dum de hac acceptatione legitime conſtaret? an expedire credamus Eccleſiae, vt in ſumma neceſſitate, in qua Concilia potiſſimum indicuntur, notabili ſatis tempore exſpectatione ſuſpenſa maneat? ſi reponas, colligi mentem Eccleſiae vniuerſalis illico, quando nullus Epiſcoporum expreſſe eidem contradicat. Verum edicito, quamdiu contradictores ſunt exſpectandi? opus eſt, vt praeuie acta Conciliorum omnibus communicentur, communicata examinentur, tunc

primum contradictioni locus esse posset. Verum haec omnia non vno alteroue anno perficientur.

§. LXIV.

Si Concilium legitime conuocatum, eodem modo continuatum, ac rite demum finitum fuit, authoritatis in rebus fidei et morum infallibilis est. Hanc sententiam Catholici omnes profitentur contra Lutherum et Caluinum, quibus ideo exosa erat Conciliorum authoritas, eoquod pleraque ex suis dogmatibus, quae propugnabant, iam pridem a Conciliis generalibus damnata cernerent.

Argumenta pro Conciliorum infallibilitate commonstranda, Scriptura, Traditio et ratio suppeditat. Scripturarum testimonia occurrunt Matth. cap. XVIII. vbi Christus incorrigibilem fratrem Ecclesiae denuntiari iubet hac lege, vt Ecclesiam vel audiat, vel si eam audire detrectet, tamquam Ethnicus et Publicanus habeatur: *Quodsi non audierit eos: dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Quomodo vero ex mandato Christi Ethnicus et Publicanus censendus foret ille, qui Ecclesiae negat obedientiam, nisi Christus hanc ipsam Ecclesiam constituisset veritatis columnam, cuius definitionibus absque nota haereseos resistere possit nemo. Quid nomine Ecclesiae hoc in loco designare voluerit diuinus Magister, verba subsequentia pandunt: dedit hic Apostolis ligandi soluendique potestatem, et hoc ipso constituit eosdem Rectores Ecclesiae, nouiter constitutis vlterius commendabat, vt in vsu concessae potestatis pro rei exigentia in vnum conuenirent, addita promissione, quod ita congregati semper securi esse possint de diuini Spiritus assistentia; quia, *Si duo ex vobis*, inquit ibidem, *consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.* Non enim soli Rectores Ecclesiae in tali conuentu soluunt, ligant, aut decernunt, sed Christus cum ipsis: *Vbi enim*, effatum Saluatoris est,

sunt

ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Eccleſia itaque in hoc textu ſignificat conuentum Paſtorum in nomine Chriſti congregatum, et diuini Spiritus aſſiſtentia ſuffultum, qualem Actorum cap. XV. Ieroſolymis coactum fuiſſe legimus, in quo Apoſtoli non ſuo tantum et Seniorum nomine, ſed nomine etiam Spiritus ſancti, qui docebat eos omnem veritatem, ſolemne illud decretum condiderunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto et nobis etc.* Traditionem ſi conſulamus, eadem pro Conciliorum infallibilitate omni ex parte militat; ſancti namque Patres, quos Traditionis teſtes veneramur, vno ore Concilia non vt opus humanum, ſed vt ipſius Spiritus ſancti oraculum commendant. S. Gregorius nazianzaenus Oratione in Athanaſium Epiſcopos ad Concilium nicaenum a Spiritu ſancto congregatos teſtatur, cuius decreta S. Cyrillus lib. I. de Trinitate diuinum et ſanctiſſimum Oraculum appellat. Canones nicaenos per Spiritum ſanctum ordinatos Leo epiſt. LIII. ad Anatholium pronuntiat. Quid S. Gregorius de quatuor Eccleſiae Conciliis ſenſerit, ex libro I. eiusdem epiſt. XXIV. conſtat, vbi ſicut ſancti Euangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſe venerari fatetur. Sancto Ambroſio tam ſancta erat Conciliorum authoritas, vt mori mallet, quam recedere ab eorum decretis: "Sequor, "inquit epiſt. XXXII. tractatum nicaeni Concilii, a quo me nec mors, "nec gladius poterit ſeparare." Sanctus Hilarius actu diuturnum ſatis ac moleſtum pertulit exilium propter nicaenam fidem, prouti ipſe teſtatur in fine libri de Synodis. Quomodo vero hi viri et ſanctitate et doctrina vsque adeo conſpicui talia addidiſſent elogia decretis conciliaribus, quomodo eadem propriae vitae anteponere fuiſſent auſi, niſi intime ſibi perſuaſum habuiſſent irrefragabilem eſſe debere illorum authoritatem? Ex ratione pro Conciliorum infallibilitate ſequens argumentum authoritati ſacrarum litterarum innixum deducimus. Aedificauit Chriſtus Eccleſiam ſuam ſupra firmam adeo petram, vt portae inferi contra eamdem numquam ſint praeualiturae; aſſertum hoc ipſius Fundatoris teſtimonio roboratur apud S. Matthaeum cap. XVI. v. 18. Praeualerent autem portae inferi quam maxime contra Eccleſiam, ſi Concilium generale, quod vniuerſalem Eccleſiam ſub vno viſibili capite legitime congregatam repraeſentat, in rebus fidei aut morum errandi periculo eſſet expoſitum. Igitur aut Chriſtum citato loco falſum dixiſ-

se, aut saltem promissis suis non stetisse (quod vel cogitare a christiano absit) aut Concilia necessario infallibilia fateamur, oportet. Argumenta ex sanctis Patribus, Conciliis, nec non ex ratione petita, quibus Nouatores hanc catholicam veritatem labefactare conantur, recensent, ac simul neruose dissoluunt Cardinalis Bellarminus de Conciliis et Ecclesia lib. II. cap. VII. et sequentibus: Melchior Canus de locis theologicis lib. V. cap. I. et VI.

§. LXV.

Quamquam summam Conciliorum generalium vtilitatem pro vniuersali Ecclesia sponte fateamur, omnimodam tamen et absolutam quasi illorum necessitatem adstruere minime audemus. Hanc sententiam etiam Galli adoptant, eamdemque in specie comprobauit sacra facultas parisiensis die 9. Februarii anno MDCLXIII.

Conciliorum generalium necessitatem absolutam vel vrgerent haereses nouiter in Ecclesia exortae, vel schismata, quae Ecclesiam illam Christi sponsam foede dilacerarent: ast nullum ex his momentis adeo graue est, vt alia ratione difficultates tolli nequirent. Surrexerunt profecto ab exordio Ecclesiae plures viri mendaces, qui falsae doctrinae semina vndique dispergebant in vulgus, attamen ante saeculum Ecclesiae IV. nullius Concilii oecumenici mentio occurrit. Nascebantur omni aeuo funestissima schismata, verum quod haec in Conciliis generalibus semper fuerint extincta, nemo in Historia ecclesiastica vel leuiter versatus affirmauerit. Haereses Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Valentini, Cerdonis, Marcionis etc. Eusebius in sua Historia ecclesiastica extinctas quidem refert, nullibi tamen aliquem Episcoporum conuentum ad earumdem damnationem conuocatum commemorat. De schismate a Montano ad finem saeculi II. conflato ita loquitur Eusebius lib. V. hist. cap. VI. "Quum fideles, qui in Asia "erant, saepius et in plurimis Asiae locis conuenissent, nouamque il-

"lam

" Iam doctrinam examinaſſent, et profanam, atque impiam iudicaſ-
" ſent, damnata haereſi ipſi ab Eccleſia et fidelium communione ex-
" pulſi ſunt. " Ferme eadem habet laudatus Euſebius lib. VI. cap. XLIII. de ſchiſmate nouatiano. " Quum Romae, inquit, congrega-
" ta eſſet Synodus, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, Presbyteri
" vero ac Diaconi multo plures conuenerunt, quumque in Prouin-
" ciis Antiſtites, quid agendum eſſet, ſinguli conſultaſſent, hu-
" iusmodi decretum cunctis promulgatum eſt. " Ex his abunde patet, quod tum ad exſtirpandas haereſes, tum ad ſchiſmata eradicanda non ſemper ad conuentus totius Eccleſiae, ſed ſaepe ad Concilia ſolum particularia deuentum fuerit, quae res Facultatem pariſienſem permouit, vt ſequenti modo de Conciliorum generalium neceſſitate mentem ſuam explicaret: " Neceſſarium non eſſe abſolute Concilium
" generale ad exſtirpanda quaelibet ſchiſmata, et quaslibet haereſes v.
" g. Pelagianam et Ianſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas abs-
" que Concilio generali, quod tantum in aliquibus caſibus eſt neceſſa-
" rium. " Caſus, in quibus conuocare Concilia generalia non ſumma modo vtilitas, ſed magna etiam neceſſitas eſt, enumerat Cardinalis Bellarminus de Conciliis et Eccleſia lib I. cap. IX. ſequentes. *Prima* cauſa eſt haereſis noua, non quaecunque, ſed quae a pluribus iam propugnari, et inſigniores forte Eccleſias veneno ſuo inficere incipit. huic coniunctis viribus reſiſtendum eſt, veluti reſtitit vniuerſalis Eccleſia haereſi Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis et. *Secunda* eſt ſchiſma inter duos de Papatu contendentes, ſi neuter eorum amore pacis cedere vellet. Exemplum huiusmodi ſchiſmatis ſat notabile habemus tempore Concilii conſtantienſis, vbi Gregorius XII. et Benedictus XIII. non niſi Concilii generalis remedio Pontificatu abacti ſunt. *Tertiam* cauſam conſtituit reſiſtentia communi totius Eccleſiae hoſti opponenda. *Quarta* eſt ſuſpicio vehemens de romano Pontifice, quod quoad ſuam perſonam priuatam haereſin foueat, aut tyrannidem exerceat: in his enim circumſtantiis, inquit Bellarminus, debet congregari Concilium generale vel ad deponendum Pontificem, vel certe ad admonendum, ſi in moribus videretur incorrigibilis. Fundamentum haec cauſa habet in Synodo VIII. Canon. XXI. in qua decernitur: " Si
" Synodus vniuerſalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de ſancta

" Roma-

"Romanorum Ecclesia quaeuis ambiguitas, et controuersia; oportet venerabiliter, et cum conuenienti reuerentia de proposita quaestione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romae Pontifices." Binius Tom. III. Concil. part. I. sect. II. pag. 676. *Quinta* causa esset, vt Episcopi sponte sua ad Concilium generale celebrandum confluerent, si Cardinales aut non vellent, aut non possent eligere romanum Pontificem, quo in casu de romani Pontificis electione decernere procul dubio ad Concilium generale spectaret. *Sextam* et vltimam Concilium generale congregandi causam suggerit reformatio generalis abusuum et vitiorum, quae in Ecclesiam sensim sine sensu irrepserunt. Ad hos abusus radicitus exstirpandos omnia ferme Concilia generalia saluberrima ediderunt decreta, qualia in nouissimo tridentino Concilio in singulis eiusdem reformationum capitibus legere est.

§. LXVI.

Quae hactenus de Conciliis exposuimus, illos conuentus respiciunt, qui ex vniuerso orbe catholico conuocantur. Ab his autem tum quoad modum conuocandi et celebrandi, tum quoad materiam, quae in iisdem pertractatur, tum denique quoad vim obligandi distinguuntur illae Synodi, quae non nisi conuentum Episcoporum vnius regni aut nationis, vel integrae cuiusdam Prouinciae, aut Clericorum inferiorum cum suo Episcopo nobis exhibent, de quibus mentio facta est §. XLVIII. praeced.

Concilium ex aliquibus tantum Episcopis congregatum dicimus conuentum ecclesiasticum particularem a legitimo Pastore ad tractanda negotia Ecclesiae conuocatum. Antiquissimus horum Conciliorum vsus est, ita vt bene multi iam illum Apostolorum conuentum, de quo Actor. cap. XV. sermo est pro primo assignare, sicque particularium non minus,

quam

quam Conciliorum generalium originem Iuri diuino adſcribere non dubitent. Pro diuerſitate iſtorum Conciliorum ad diuerſos pertinet eadem conuocare, ac in iisdem comparere.: ſi Concilium *Nationale* celebrandum ſit, illud Primas totius Nationis conuocat, eidemque praeſidet, vocandi autem ſunt omnes totius Regni aut Nationis Praſules ſub Primatis iurisdictione conſtituti tamquam iudices controuerſiarum, quae ibidem agitantur. Concilium *Prouinciale* Metropolita ſuae Prouinciae Epiſcopis indicit, atque in eo Praeſidis legitimi munere fungitur. Synodum *Dioeceſanam* ſolus Epiſcopus cum Abbatibus et Clericis ſuae Dioeceſeos celebrat. De hac Synodo dioeceſana inſignem tractatum edidit Benedictus XIV. romanus Pontifex, in quo tredecim libris totam materiam ad hanc Synodum pertinentem eruditiſſime examinat, et ferme exhaurit. Cauſam congregandi Concilia particularia praebent tum haereſes, tum collapſa hinc inde Eccleſiarum particularium diſciplina; illae vt plurimum olim in Conciliis particularibus confixae, haec in iisdem pariter priſtino ſplendori reſtituta fuit. Primis Eccleſiae ſaeculis ob allatas cauſas frequetiſſimae erant Synodi particulares, poſtmodum bis in anno fieri debebant: Canon enim quintus Concilii nicaeni I. iuſſit, vt ſinguli cuiusque Prouinciae Epiſcopi ante ieiunium quadrageſimale et in autumno congregarentur. Concilium vero trullanum ſeu quiniſextum, vt id ſemel in anno fiat, praecepit. Demum Concilium tridentinum ſingulis ſaltem trienniis ab Archiepiſcopo conuocari mandauit Synodum prouincialem (aut ſi forte Archiepiſcopus impeditus eſſet, vt antiquior ex Coëpiſcopis id munus in ſe ſuſciperet, ſtatuit) cui dein omnes Epiſcopi prouinciales vel per ſe, vel legitime impediti per ſuos Legatos vt interſint, obligantur. Quamquam praelaudatae Synodi maximae ſint vtilitatis, iſtum tamen effectum haud nanciſcuntur, vt infallibilis fidei et morum regula ex iis deſumi valeat. Promiſſio illa Matth. cap. XVIII. equidem adeo generalis eſt, vt Chriſti aſſiſtentia omni conuentui, in quo duo vel tres eſſent congregati in nomine eius, videatur promiſſa: Eccleſia nihilominus ea verba de promiſſione toti Eccleſiae facta intellexit, quam pauci Epiſcopi in vnum conuenientes nullo modo repraeſentare poſſunt. Communiter Theologi aeque ac Iurisperiti, vt Concilia particularia fallibilia commonſtrent, argumentum ab actu ad potentiam deducunt dicentes: illa Concilia non ſunt diuinae

autho-

authoritatis, quae tum in fide, tum in moribus errare possunt, immo actu iam errasse comprobantur: sed Concilia particularia erroris iam actu admissi valide conuincuntur: ergo diuinae authoritatis non sunt, sed errandi periculo manent exposita. Minorem probant ab inductione Conciliorum africanorum; haec, duce S. Cypriano, audacter definierunt, irritum esse Baptisma ab Haereticis collatum dissert. I. §. XLII. quorum etiam sententiam vniuersalis Ecclesia semper vt falsam reiecit, et hodiedum vt talem reprobat. Illud silentio praetereundum non est, quod Concilia etiam particularia ad summum nonnumquam authoritatis fastigium ascenderint, eo nimirum casu, quo vniuersalis Ecclesiae consensus, et approbatio saltem tacita iisdem accessit. Ita Synodi charthaginensis et mileuitana aduersus Pelagianos celebratae tantum robur ex receptione totius Ecclesiae obtinuerunt, vt Pelagiani in his ipsis Synodis proscripti nulla ratione amplius fuerint auditi, non obstante, quod incessanter ad Concilium generale prouocarent, in quo sua dicta et scripta examinari cupiebant. Verum circa hoc multi subsistunt, an Pontificis quoque confirmatio accedere debeat, vt Concilia particularia ad istum summae authoritatis apicem euehantur? iuxta principia a nobis praemissa facile est respondere. Si enim Concilium generale, vt nobis de eiusdem infallibilitate legitime constet, pontificia approbatione indigeat, quid impediet, quo minus idem afferamus de Conciliis particularibus in se fallibilibus, quibus supremae authoritatis pondus alio modo accedere nequit, nisi ex concentratione vniuersalis Ecclesiae, id est, membrorum cum capite. Pro confirmatione nostrae sententiae S. *A*ugustinus a Thomassino relatus dissert. IX. in Conc. chart. ita loquitur: "Iam de hac causa (Pelagianorum scilicet) duo Concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. "Causa finita est, vtinam etiam finiretur error. "Item "Quid adhuc "quaeris examen, quod apud apostolicam sedem iam factum est? "quod denique iam factum in episcopali iudicio palestino: ergo haeresis non adhuc examinanda ab Episcopis, sed potestatibus coercenda "est christianis." Cur autem haec Concilia Romam fuere missa, nisi vt a romano simul Pontifice et ab Ecclesia vniuersali summam illam authoritatem nanciscerentur. Videatur laudatus Thomassinus, qui aliis quoque ex fundamentis sententiam nostram fortiter propugnat.

CA-

CAPVT V.

DE ROMANO PONTIFICE, EIVSQVE DECRETIS QVARTO IVRIS CANONICI FONTE ORIGINARIO.

§. LXVII.

Sancto Petro ſummam regendi poteſtatem a Fundatore Chriſto fuiſſe collatam, diſſert. I. §. XXX. ratione ex ſacris litteris deriuata oſtendimus. Hic poſt Chriſti ex hac terra diſceſſum notabili ſatis tempore nulli certo loco affixus Iudaeis vndequaque diſperſis Regnum Dei praedicare, multosque ad Eccleſiam, Chriſti ſanguine acquiſitam, aduocare non deſtitit. Tandem Eccleſiam antiochenam erigere coepit, ibidemque, ſed ad tempus modicum ſolummodo munus ſuum paſtorale exercuit; ſeptennio enim transacto, chariſſimum ſuum diſcipulum Euodium eidem Eccleſiae praefecit Epiſcopum, ipſe vero expugnaturus Simonem Magum Romam petiit circa annum a Chriſti natiuitate XLII. et imperii Claudii II. In hac vrbe longe celeberrima non ſtabilem modo ſedem fixit, ſed Eccleſiam omnium reliquarum Eccleſiarum Matrem ac Caput ibi fundauit, cui ipſemet praeerat ad annum vsque Chriſti LXVII. Neronis vero Imperatoris XIIII., quo trans Tyberim in cacumine montis Ianiculi crucifixus ad aliam Eccleſiam, nimirum triumphantem in coelis transuolauit. Fleuryus Hiſt. eccleſ. lib. II. §. XIV. et ſequ.

Vt eo liberius authoritatem romanae Ecclesiae impugnare valerent Lutherus et Caluinus, impudenter satis contra probatissimorum Historicorum fidem negarunt, sanctum Petrum Romae fuisse, ibidemque Episcopatum tenuisse. Lutherus in Symposiacis cap. de Antichristo in haec verba erumpit: "Omnes quidem Historiae fatentur, Petrum pri-"mum Romae Episcopum fuisse, sed merae sunt fabulae." Caluinus lib. IV. Instit. cap. VI. paululum concedere videtur Historicorum relationibus, dum ita loquitur: "Propter scriptorum consensum non "impugno, quod Romae mortuus sit Petrus, sed Episcopum fuisse "praesertim longo tempore, persuaderi nequeo." His ad lucem meridianam coecutire volentibus vel solum testimonium S. Hieronymi oculos aperire debuisset, qui in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum haec de S. Petro refert: "Simon Petrus post episcopatum antiochensis Ec-"clesiae et praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione "crediderunt, in Ponto, Galatia, Capadocia, Asia et Bythinia secun-"do Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, "ibique viginti quinqne annis cathedram sacerdotalem tenuit vsque ad "vltimum Neronis, id est decimum quartum." Natalis Alexander speciali dissertatione XIII. ad saeculum Christi I. inquirit in veritatem huius sententiae, et plurimis argumentis commonstrat, sanctum Petrum et Romam venisse, ac romanam Ecclesiam ad mortem vsque rexisse, ita vt hodie inter doctos nullum amplius hac de re supersit dubium.

§. LXVIII.

In hac Ecclesia, quam Petrus Romae fundauerat, alios semper atque alios numeramus successores, legitimosque haeredes potestatis illius, quae diuo Petro tamquam vniuersali Pastori a Christo data fuit dissert. I. §. XXX. Haec vero ipsa specialis potestatis praerogatiua causa erat, vt romanae Ecclesiae Episcopis singularis semper haberetur reuerentia, quod tum ex honorum titulis romanis Praesulibus

tribui

tribui ſolitis, tum ex tot prouocationibus iam primitiuis Eccleſiae ſaeculis ad romanam ſedem factis comprobatur.

Succeſſionem in cathedra Petri debere eſſe perpetuam, ex intentione ipſius Fundatoris pronum eſt colligere: volebat Chriſtus iſtum fidelium coetum ſub regimine legitimorum Paſtorum a ſe conuocatum non ad aliquod tantum tempus, ſed ad conſummationem vsque ſaeculi perdurare diſſert. I. §. XXXIV. Neceſſarium proinde erat, vt in locum praedeceſſorum alii rurſus ſubſtituerentur: maxime vero haec neceſſitatis ratio circa illum obtinet, qui diuina ordinatione totius Eccleſiae caput ac centrum conſtitutus fuit, in huius ſane locum alii continuo ſuccedant neceſſe eſt, ne ſecus contra formam a Chriſto praeſcriptam Eccleſia noſtra corpus aliquod acephalum fieret. Succeſſorum ſancti Petri integrum Catalogum per omnia retro ſaecula exhibent ſcriptores Hiſtoriae eccleſiaſticae paſſim, in eo tamen aliqui illorum difficultatem ſentiunt non modicam, quemnam pro immediato S. Petri ſucceſſore aſſignare debeant, an Linum, an Clementem? verum hanc controverſiam iam dudum eruditiſſime diſſoluit Natalis Alexander Hiſtor. eccleſ. ſaecul. I. diſſert. XIV., nec non Sandinus in ſpeciali diſputatione hiſtorica ordine quarta de proximo ſucceſſore D. Petri, qui ambo antiquiſſimorum Scriptorum teſtimoniis freti ſequenti ordine quatuor primos Chriſti Vicarios recenſent: primo loco ponunt S. *Petrum*, tum *Linum*, tertio *Cletum*, et quarto denique *Clementem*. Tituli, quibus ſucceſſores S. Petri honorare ſolebant primi Chriſtiani, erant quam plurimi, quos recenſet Thomaſſinus de veteri et noua Eccleſiae diſciplina lib. I. part. I. cap. IX. et quamuis multi illorum teſte Binghamo de Orig. eccleſ. lib. II. cap. II. communes fuerint aliis quoque Epiſcopis, ſucceſſu temporis tamen ſoli romano Antiſtiti tribui coeperunt, ita quidem, ut ſaeculo Eccleſiae VI. *Papae* nomen ſine addito romanum Pontificem deſignarit, quum antea ſemper ſcriberetur: *Epiſcopus Romae*, *Papa Romae.* Thomaſſinus cit. loco §. X. ſaeculo V. in Concilio chalcedonenſi Clerici alexandrini Leonem I. *Titulo Patriarchae oecumenici* honorarunt, et nullus Patrum in Concilio praeſentium contradicere audiebatur, immo dum poſtmodum Ioannes Patriarcha conſtantinopolitanus eumdem titulum ſibi arrogare tentabat, illico contradictores expertus eſt

 roma-

romanos Pontifices. Quod iam tribus primis Ecclesiae saeculis prouocatum fuerit ad romanos Antistites, dubitare nos vix permittunt controuersiae eo tempore agitatae, nempe de celebrando Paschate, nec non de rebaptizandis illis, qui Baptismum ab haeretico ministro receperunt: in his decidendis praecipua semper erat romanorum Praesulum authoritas, qui in Conciliis Romae celebratis vna cum Episcopis occidentalibus vniuersam litem feliciter diremerunt. Videatur dissert. I. §. XLII.

§. LXIX.

Quum romanus Pontifex D. Petri successor sit, non nudo tantum titulo, sed singulari quoque potestatis praerogatiua gloriatur. Quanta autem sit haec potestas, et quem in finem concessa, intelligimus ex ipsius descriptione, quam sequentem damus: Pontifex romanus est supremum in Hierarchia ecclesiastica caput ad regendam Ecclesiam vniuersalem iuxta formam ab ipso Christo praescriptam diuinitus constitutum.

Ex hac descriptione liquet, quod romano Pontifici omnis illa potestas necessario adscribenda sit, sine qua munus regendi in S. Petro sibi delatum obire nequit: quoniam vero primum etiam in Hierarchia ecclesiastica obtinet locum, cuius curae non vna alteraue Ecclesia sed vniuersalis commissa est, longe amplior ipsius potestas sit, oportet, ac ceterorum Episcoporum, quos particulares tantum Ecclesias regere Spiritus sanctus posuit. Inde venit, quod Catholici ad vnum omnes romano Pontifici primatum aliquem Iure diuino competentem adscribere soleant. Primatus autem nomine intelligunt complexum certorum Iurium, quae vni soli prae ceteris propria et quasi agnata sunt.

§. LXX.

§. LXX.

Primatus in genere triplex eſſe poteſt *Honoris*, *Authoritatis*, et *Iurisdictionis*: quilibet ex his certa Iura complectitur illi ſoli propria, qui hunc Primatum gerit.

Primatus *Honoris* infimam claſſem conſtituit, et nil aliud inuoluit, quam nudam praeeminentiam aut praecedentiam quoad actus honorificos: ille itaque, qui honore tantum primus habetur, primus incedit, ſedet, nominatur etc. praeterea vero nihil ſingulare amplius ſibi adſcribere poterit. Primatu honoris longe foecundior eſt Primatus *Authoritatis*, qui praeter prioritatem nominationis, ſeſſionis etc. inſuper veram poteſtatem directiuam negotiorum in publicis conuentibus tractandorum includit. Iura ergo ſpecialia et huic Primatui neceſſario annexa ſunt ſequentia: indictio diei et horae, ſi negotium aliquod collegialiter diſcutiendum ſit: praeſidium in illo ipſo collegio, relatio totius negotii cum voto informatiuo nec non collectio votorum, quae a reliquis in conuentu praeſentibus data ſunt, iuxta quorum demum pluralitatem a Praeſide concipienda eſt ſententia, concepta vero ab eodem promulgari, promulgata nomine totius collegii executioni quoque mandari debet. Primatu tum honoris tum authoritatis longe excellentior eſt Primatus *Iurisdictionis*, qui non nudam tantum poteſtatem directiuam, ſed vere praeceptiuam ac legislatoriam importat. Conſiſtit itaque hic Primatus in perfecta ſubordinatione obedientium erga vnum imperantem, cui incumbit ius circa caſus dubios dicere, leges, quas pro obtinendo fine neceſſarias agnoſcit, condere, conditas, vt ſeruentur, toti communitati proponere, et ſi refractarius forte inueniatur, eumdem mediis, proportionatis tamen, coercere, et vt paucis complectar omnia: qui iurisdictione primus eſt, illa omnia poteſt, quae ad bonum totius communitatis procurandum neceſſaria habet.

§. LXXI.

Romano Pontifici aliquem Primatum ex Iure diuino competere, Catholici omnes admittunt, neque dissentit Febronius, qui in praefatione de statu Ecclesiae et legitima potestate romani Pontificis, Clementem XIII. summum Pontificem et primum in terris Christi Vicarium ita alloquitur: " Plenus " sincera veneratione erga eum, quem diuina prouidentia lo- " cauit in apostolico throno, quemque submisse colo vt suc- " cessorem Principis Apostolorum, qui Primatum in vniuer- " sa Ecclesia diuinitus institutum legitime tenet: de huius " Primatus iure tractare praesumens eiusdem veros terminos " delineare aggredior etc. " Difficultas itaque maxime in eo est, an omnes recensitae tres species Primatus romanis Praesulibus competant, num vero vna alteraue tantum illis adscribenda sit?

§. LXXVII.

Primatum honoris S. Petro, et in huius persona romanis Pontificibus tamquam legitimis D. Perri successoribus fuisse concessum, adeo aperta sacrarum litterarum testimonia probant, vt coecus sit, qui non primo mox intuitu de veritate huius Concessionis conuincatur.

Si sacer textus nomina Apostolorum recenset, primo semper loco Petrus addito etiam vocabulo PRIMVS ponitur: S. Matthaeus cap. X. sequenti ordine Apstolos enumerat: *Nomina Apostolorum haec sunt, primus Simon, qui dicitur Petrus.* In quem locum sequentem animaduer-

maduerſionem prodit Caietanus: " Solus Petrus ordine dignitatis inſig-
" nitur, et deſcribitur primus ad inſinuandum, valde ſpectare ad chri-
" ſtianam notitiam ſcire Primatum Petri, nulliusque momenti eſſe,
" noſſe ordinem Apoſtolorum inter ſe; ac ſi aperte dixiſſet: ſcitote
" Petrum primum, quidquid ſit de aliis, propter quod nullum ſcrip-
" ſit ſecundum aut tertium. " Beza eo vsque progreſſus eſt, vt affirmare non dubitauerit, vocabulum iſtud *Primus* non ab ipſo Euangeliſta, ſed ab alio quocumque demum impoſtore textui euangelico fuiſſe additum; eoquod in contextu nullus amplius ſecundus aut tertius inſcribatur: ſed ex proprii oris confeſſione ſatis refutari poteſt Beza; admittit enim, quod omnia exemplaria conſtanter retineant hanc lectionem: Quodſi omnia exemplaria ita legant, quomodo moraliter poſſibile fuit, vt omnia ſimul et ſemel ita clanculo corrumperentur, vt nullus ad Bezam vsque hanc fraudem olfecerit. Aliud pro ſtabiliendo Primatu honoris argumentum deſumitur ex vocatione Petri, quam S. Ioannes cap. I. v. 41. ita refert: *Dicit Andreas Simoni: Inuenimus Meſſiam; et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu es Simon. Tu vocaberis Zephas, quod interpretatur Petrus.* Hoc in textu notatu digna eſt illa nominis mutatio, quam Chriſtus illico fecit, quam primum Petrum ad ſe adductum intuitus eſt. Honor ſane, qui nulli alteri Apoſtolorum obtigiſſe in ſacris litteris conſpicitur. Plura adhuc ſolent paſſim adducere ſcripturarum teſtimonia, quibus tamen recenſendis eo facilius ſuperſedere poſſumus, quo certius aliunde eſt, hunc honoris Primatum a nemine Catholicorum romanis Pontificibus abnegari.

§. LXXIII.

Scripturarum elogia, quae de ſancto Petro loquuntur, non nudam ſolum nominis praeeminentiam inſinuant, ſed tales inſuper eidem attribuunt praerogatiuas, ex quibus iure merito Primatum authoritatis eidem fuiſſe collatum inferimus. Si facta inſuper D. Petri poſt Chriſti in coelos aſcenſum in ſub-

subsidium vocemus, ea quoque non obscure nobis Petrum inter Apostolos et nomine et authoritate primum fuisse, fidem faciunt.

Loca in sacris litteris vbique deprehendimus, quae authoritatem D. Petri commendant et extollunt. Matth. cap. XVI. fundamentum totius Ecclesiae constituitur, claues Regni coelorum accipit, ligandi soluendique potestate insignitur. Ioannis cap. XXI. Pastor vniuersalis constituitur, ac in suam recipit curam oues omnes, quaecumque de ouili Christi sunt. Lucae cap. XXII. fratres suos confirmare iubetur. Haec tam singularia dona ad nudam praeeminentiam nominis tam parum profecto reuocari queunt, quam parum alicui in mentem venire potest, Pastorem ouibus suis honore tantum, non vero etiam authoritate praeesse. Facta S. Petri bina nobis proponunt Acta Apostolorum, ex quibus Primatus authoritatis eiusdemque exercitium clare elucet. Actorum cap. I. surgens Petrus in medio fratrum longo sermone exposuit toti multitudini ibidem collectae, quam necessarium sit vnum aliquem eligere in locum proditoris Iudae, totumque simul electionis negotium disposuit. Pariter Actorum cap. XV. in Concilio ierosolymitano Petrus tamquam Praeses Synodi controuersiam de legalium obseruantia proponit, ac in fine, auditis aliorum suffragiis, communi totius Concilii nomine decretum condit: *Visum est Spiritui sancto et nobis etc.* " Merito autem Petrus primus omnium authoritatem vsurpat in nego-" tio, vt qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Christus: " Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, " inquit S. Chrysostomus a Febronio ipso cap. II. §. I. num. IV. relatus.

§. LXXIV.

Petrum fuisse primum in Hierarchia ecclesiastica caput ad regendam vniuersalem Ecclesiam diuinitus institutum, et loca scripturarum §. praed. clamant, et nos quoque in descriptione romani Pontificis asseruimus. Verum hoc ipsum

ſum eſt, quod ſupremo huic capiti non modo Primatum authoritatis, ſed et Iurisdictionis tamquam proprium vendicat.

Rector in ſenſu proprio ille dici nequit, qui communitati, cuius curam in ſe ſuſcepit, ita tantum praeeſt, vt nihil independenter ab aſſenſu aliorum ſtatuere valeat, ſed totus quantus in exercitio iurisdictionis vel a tota communitate vel a primoribus ſaltem communitatis dependet. Simile regimen ſupremo huic capiti omnes illi adſcribere videntur, qui tradunt, Petrum in collegio Apoſtolorum talem eſſe, qualis in ſenatu Praeſes eſt. Hic ſententias Senatorum rogat ſolummodo, non cogit, et vno ſuo arbitrio nihil decidit: reliquorum actibus intendit, et arguit etiam, ſed non deſtituit: Caput ipſorum eſt, ac maior, non tamen in ſtricta ſignificatione ſuperior etc. Verum an ob has praerogatiuas quispiam proprie Rector dici mereatur, non abs re ſubſiſtimus? regere et paſcere certe longe quid amplius tum ex natiua ſua ſignificandi vi, tum ex ſenſu et interpretatione ſacrarum litterarum importare, omnis aequus rerum arbiter fatebitur.

§. LXXV.

Quod veram regendi poteſtatem et in hac ipſa poteſtate Primatum Iurisdictionis Chriſtus Petro contulerit, ex triplici ſacrarum litterarum teſtimonio probamus. Primum legimus apud S. Matthaeum cap. XVI. v. 15. vbi Chriſtus diſcipulos ſuos interrogauit: *Vos autem, quem me eſſe dicitis? reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in coelis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, et portae inferi non praeualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni coelo-*

 rum.

rum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis. Singulae, quae in hoc textu occurrunt, circumſtantiae ſi bene ponderentur, elucet, promiſſionem hanc D. Petro factam fuiſſe prorſus ſingularem, ideoque etiam poteſtas, quam hoc in loco Chriſtus promiſit, non communis cum reliquis Apoſtolis, ſed prorſus ſingularis ſit, oportet.

Primo valde notabile eſt, quod Chriſtus praeciſe Petrum, non vero alium ex Apoſtolis eo tempore praeſentibus allocutus ſit, non Andream vocatione ſeniorem, non Ioannem ſibi praedilectum, et cognatione propinquum. *Secundo*, Petro in ſingulari poteſtatem ligandi et ſoluendi promiſit, quum ceteris Apoſtolis in genere tantum dixit: *Amen dico vobis, quaecumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelo.* Matth. cap. XVIII. v. 18. vbi Apoſtolis haec praerogatiua collata eſt, nullas praeuias diſpoſitiones ab illis Chriſtus requiſiuit, Petro vero non antea dictum fuit: *Tu es Petrus* etc. *Tibi dabo* etc. quam depoſuiſſet inſignem illam Chriſti diuinitatis confeſſionem, quam nulla ratione caro et ſanguis, ſed ſolus Pater coeleſtis reuelare potuit. Hanc diuinitatis confeſſionem ſimul ac praemium huic confeſſioni correſpondens multa cum energia extollit S. Hieronymus in cap. XVI. S. Matthaei ita ſcribens: "Mercedem recepit vera confeſſio. Beatus es. "Quare? quia non reuelauit tibi caro et ſanguis, ſed reuelauit Pa-"ter, quod caro et ſanguis reuelare non potuit: quid eſt, quod ait: "Et ego dico tibi, quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus Filius Dei "viui, et ego dico tibi non ſermone caſſo, ſed quia meum dixiſſe „feciſſe eſt: Quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccle-"ſiam meam etc." *Tertio* confirmatur hoc ipſo in loco nomen nouum Simoni, quod, dum Ioan. cap. I. ad diſcipulatum vocabatur, a Chriſto impoſitum fuit. Solet autem Deus nouum imponendo nomen, non nudum et grammaticalem tantum verborum ſonum intendere, ſed magnum

num semper per nomen nouiter impositum exprimit mysterium. Res in exemplis ex Scriptura petitis clarescit. Genesis cap. XVII. v. 5. dixit Dominus ad Abram: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te.* Lucae cap. I. v. 13. ait Angelus ad Zachariam, *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem,* quod interpretatur *Gratiosus,* teste Isidoro lib. VII. etymol. cap. VIII. Ioannes, inquit, interpretatur Domini gratia, eoquod sit limes Prophetiae, ac praenuncius gratiae, siue initium Baptismatis, per quod gratia ministratur. Ipsius quoque Christi nomen mysteriis plenum ab Angelo Gabriele Mariae praenunciatum legitur Lucae cap. I. v. 31. *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum,* id est, Saluatorem, quem recenter natum Angelus pastoribus indicauit Lucae cap. II. v. 11. inquiens: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Simile pariter mysterium S. Ambrosius sermon. XLVII. de fide Petri in nouo isto nomine Simoni imposito deprehendit, illudque sequentibus nobis manifestat: " Petrus petra dicitur, " eoquod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam " immobile saxum totius operis christiani compagem, molemque con- " tineat. " *Quarto,* vt supremam indicaret regendi potestatem Petro conferendam, Christus vsus est Symbolo clauium, quae non in communi solum acceptione, sed in sacris quoque litteris omnimodam iurisdictionem denotant: Isaiae cap. XXII. Sobnae templi ierosolymitani Praeposito omni potestate exuto Eliacim filius Helciae cum plenitudine potestatis substituitur. Hanc vero amplam adeo potestatem sacer textus non aliter quam sub clauium schemate eidem collatam fuisse refert, ita enim legitur v. 20. *Vocabo seruum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius: et erit quasi Pater habitantibus Ierusalem, et domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: aperiet, et non erit, qui claudat: et claudet, et non erit, qui aperiat.* Hanc clauim domus Dauid (quae iuxta Tyrinum et interpretes ab eo citatos supremam iurisdictionem in Ecclesia nouiter erigenda praefigurabat) Christus ipse habuit, prout testatur Ioannes in Apocalypsi cap. III.

v. 7. *Haec dicit ſanctus et verus, qui habet clauim Dauid: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Quamdiu enim in terris degebat Chriſtus, ipſe erat Eccleſiae ſuae caput viſibile, et Rector: poſt ſuum vero in coelos aſcenſum claues reliquit Petro. Neque dicas: Petro hic claues Regni coelorum, non domus, id eſt, praeſentis Eccleſiae promiſſas fuiſſe. Scrupulum hunc eximit S. Gregorius Magnus Homil in cap. XXV. S. Matthaei dicens: " Sciendum nobis eſt, quod " ſaepe in ſacro eloquio Regnum coelorum praeſentis temporis Eccleſia " dicitur. " Quod et variis exemplis in eadem Homilia confirmat. Has omnes circumſtantias qui animo non praeoccupato penitius inſpexerit, magnum ſane pondus ex iisdem fundamentis ſententiae noſtrae accedere haud difficulter fatebitur.

§. LXXVI.

Quamuis hoc teſtimonium vndequaque adeo clarum videatur, vt primo quaſi intuitu cuiusuis oculos perſtringere debeat; ſunt nihilominus bene multi, qui illud in diuerſos ſenſus pertrahere adlaborant. Alii nomine *petrae* non *Petrum* intelligunt, ſed *fidem* Petri eiusque confeſſionem firmam illam petram eſſe contendunt, ſuper quam aedificata eſt Eccleſia noſtra. Rurſus alii *petrae* nomine *Chriſtum* ipſum intelligi debere exiſtimant; hic enim fundamentum totius aedificii eccleſiaſtici eſt, ſemperque erit; quoniam *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere praeter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* I. ad Corinth. cap. III. v. 11. Demum tertia claſſis huius textus interpretum illos complectitur, qui Petrum Chriſti diuinitatem nomine omnium diſcipulorum Confeſſum eſſe affirmant; ſicut autem haec confeſſio communis fuit omnibus, ita et praemium a Chriſto promiſ-

ſum

ſum commune ſit neceſſe eſt. Quod ſi praemium commune dicamus, neceſſaria ſequela oritur, claues non ſoli Petro, ſed toti Eccleſiae, quam diſcipuli in vnum collecti repraeſentabant, promiſſas fuiſſe: ergo ſummam illam Iurisdictionem clauibus deſignatam non Petrus, ſed vniuerſalis accepit Eccleſia.

§. LXXVII.

Verum ſalua horum virorum authoritate licebit nihilominus et nobis ſententiae ſemel conceptae inhaerere. Fatemur equidem, omnes iſtas praelaudatas opiniones multorum Patrum authoritate fulciri, attamen nec noſtra eadem ita deſtituitur, vt nulla ratione defendi queat. Studendum itaque magis, vt textus aut inuicem conciliemus, aut iuxta circumſtantiarum varietatem pro poſſibili explicemus.

In exponendis ſacris ſcripturis illam regulam conſtanter prae oculis habemus, quod verba tamdiu in ſenſu proprio ac litterali ſint accipienda, quamdiu nulla exinde repugnantia aut inconueniens ſequitur. Merito itaque ad huius regulae ductum in allegato textu petrae nomine Petrum intelligimus; torta nimis eiusdem foret expoſitio, ſi hunc haberet ſenſum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc confeſſionem tuam aedificabo Eccleſiam meam.* Ss. Patres dum fidem Petri firmam illam petram depraedicant, cauſam tantum meritoriam nobis inculcant, ob quam Petrus Eccleſiae fundamentum fieri meruit, non vero promiſſionem in ipſa Petri perſona impletam fuiſſe negant. S. Hieronymus epiſt. LXI. ad Pamachium ait: " Super aquas Petri corpus non " ambulaſſe, ſed fidem. " Ergone Petrus iuxta ſanctum Hieronymum corporaliter in aquam non deſcendit? Contraria ſane, ſi ſanctus Pater hoc intendiſſet, eidem foret ſcriptura, quae hoc factum Matth. cap. XIV. v. 29. ita narrat: *Et deſcendens Petrus de nauicula, ambula-*

bat

bat super aquam, vt veniret ad Iesum, vtique non fide, qua ei semper adhaerebat, sed corpore. Originem huius expositionis inquirit Natalis Alexander Hist. eccles. saecul. I. differt. IV., eamque eo tempore ortam esse contendit, quo Ariani palam Christi diuinitatem impugnare sunt aggressi, tum inquit, sancti Patres confessionem S. Petri summis laudibus extollere, ac Ecclesiae nostrae fundamentum nuncupare coeperunt, metonymice nimirum translato nomine effectus ad causam. Nostram autem expositionem longe anteriorem ex Tertulliano, Origene, et sancto Cypriano probat idem eruditissimus author. Altera interpraetatio citati textus, quae Christum Ecclesiae fundamentum et petram facit, nobis minime obest: fatemur enim ipsi, Christum esse fundamentum primarium et lapidem angularem Ecclesiae nostrae, hoc tamen nequaquam prohibet, quo minus Petrum tamquam fundamentum secundarium veneremur. In hoc sensu eumdem scripturae locum et de Christo, et de Petro se exposuisse testatur S. Augustinus lib. I. retrect. cap. XXI. Tantus praeterea est Christi in suos discipulos amor, vt ea, quae ipsi soli propria videbantur, illis quoque pro cuiuslibet capacitate communicare non dubitauerit. Vt enim ait S. Basilius Homil. XXVIII. de poenitent. " Christus vere est immobilis petra; Petrus " vero propter petram. Dignitates namque suas largitur Iesus aliis: " largitur autem eas, nec iis spoliatur. Lux est, Vos estis lux " mundi, inquit, Sacerdos est, et facit Sacerdotes. Quis est, et di- " cit: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, " et petram facit. Quae sua sunt, largitur seruis suis. " Quid mirum ergo, si hic petrae nomine Petrum a Christo fuisse designatum contendamus? Illis, qui Petrum nomine Ecclesiae, cuius typum tum gesserat, claues accepisse asseuerant, reponimus, quod eorum expositio sit allegorica, quae sensum litteralem non destruit, sed praesupponit. Alegorice etiam Christum gessisse figuram Ecclesiae, quando baptizatus fuit, testis nobis est S. Augustinus lib. XV. de Ss. Trinitate cap. XXVI. An autem ex hoc quispiam inferet, Christum non vere ac in propria persona fuisse baptizatum? Petrus ita Ecclesiam repraesentabat, dum a Christo claues recepit, sicut Princeps integram communitatem exhibet, quando gladium accipit. Attamen non obstante hac figura Principi vere gladius datur, ergo et Petrus, licet typum Eccle-

siae

ſiae gerat, claues nihilominus tamquam ſupremus Rector vere accipit, *Eccleſiae* quidem *figuram portat*, *Apoſtolatus* tamen *Principatum tenet* dixit S. Auguſtinus ſermon. XIII. de verbis Domini. Huic expoſitioni mirum in modum ſe opponit S. Franciſcus Saleſius diſcurſ. XXXII. de Eccleſia: cuius verba vtpote notatu digniſſima hic adduco. "Omnem mouent lapidem, inquit, vt quantum poſſunt, inquinent fontem "Euangelii, ne Petrus ibi reperiat claues ſuas. Nihil intentatum re- "linquunt, vt nos auertant ab obedientia, quae debetur Chriſti Vica- "rio. Quid autem fecerunt? dixerunt: S. Petro promiſſionem a Domi- "no factam nomine totius Eccleſiae, ſic vt nullum peculiare priuilegium "conceſſum fuerit ipſius perſonae. Si igitur hoc interpretandi modo non "peruertitur ſcriptura, numquam ab aliquo in alienum ſenſum detor- "quebitur. Nonne enim Petro locutus eſt Dominus, et quomodo cla- "rius mentem ſuam exprimere potuit, quam his verbis: Ego dico tibi: "Dabo tibi? quum enim antea locutus fuiſſet de Eccleſia, dum ait: "Portae inferi non praeualebunt aduerſus eam: quidnam obſtat, quo "minus adiunxiſſet, et dabo illi claues Regni, ſi illas immediate dare "voluiſſet Eccleſiae? at vero non dixit, dabo illi, ſed dabo tibi. "Quod ſi liceat ſic clara loca explicare, nihil omnino in Scriptura re- "peritur, quod in omnem ſenſum detorqueri non Poſſit.

§. LXXVIII.

Poteſtatem regendi clauibus deſignatam, quam ante paſſionem Chriſtus Petro promiſerat, poſt glorioſam reſurrectionem actu fuiſſe collatam, S. Ioannes hiſce verbis enarrat: *Quum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis! diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine! tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis! diligis me? ait illi: Etiam Domine! tu ſcis, quia amo te. Dicit ei; Paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis! amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit*

ei

ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine! tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oues meas.

Huius textus singulas itidem partes probe attendamus, necesse est, et cuiuis perspicuum erit, Petro numeris omnibus absolutam regendi potestatem hic fuisse attributam. *Primo*, Christus amorem a Petro desiderat, non communem, sed prorsus singularem: *Simon Ioannis diligis me plus his?* nec abs re amorem adeo eminentem ab illo exegit, quem Pastorem vniuersalem constituere intendit: " Sit amoris officium, clamat S. Augustinus tract. CXXIII. in Ioannem, " pascere gregem dominicum, si fuit timoris indicium negare pasto- " rem. " *Secundo*, regendi potestatem Petro conferendam Christus exprimere voluit per vocabulum *pascere*, quod in scripturis diuinis supremam iurisdictionem denotat. Ita Dauid II. Regum cap. V. v. 2. Pastor tantum in Israel diuinitus constituitur. *Dixit autem Dominus ad te, Tu pasce populum meum Israel, et eris dux super Israel.* Cyrus etiam Pastor solummodo dicitur Isaiae cap. XLIV. v. 28. *Qui dico Cyro; Pastor meus est*, et nihilominus ambo hi veri Reges erant omnimoda regendi potestate praediti, itaque et Petrus dum pascere iubetur, totius Ecclesiae Rector omni necessaria iurisdictione instructus a Christo designatur. *Tertio*, vt Petrus intelligeret, omnes sine exceptione curae suae pastorali debere esse subiectos, generalibus terminis mandatum Christi accepit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Quaecumque ergo oues ad ouile Christi pertinent, omnes illas Petrus suscepit regendas sine vllo discrimine, an sint agni lacte adhuc pascendi, an vero oues perfectiores, quarum nomine inferiores Pastores veniunt. Omnem distinctionem excludunt verba Eucherii lugdunensis, qui sermone in vigilia S. Petri habito praelaudata Christi verba ita interpretatur: " Oues commisit ei, quia non solum Pastorem, sed pa- " storum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit " et oues, pascit filios, pascit et matres: regit et subditos, et Prae- " latos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oues in Ec- " clesia nihil est. " Verum grauiter tam largae huius textus expositioni obstare autumant aduersae sententiae Patroni illa S. Scripturae loca, in quibus et ceteri Apostoli et in his omnes Episcopi Ecclesiarum rec-

tores

tores a Spiritu ſancto poſiti referuntur. Attamen conciliandi modum longe aptiſſimum nobis ſuggerit D. Bernardus lib. II. de conſid. cap. VIII. " inquiens: " Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum paſtores, " ſed tu tanto glorioſius, quanto differentius prae ceteris nomen hae- " reditaſti: habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos, tibi " vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, ſed et paſtorum tu " vnus omnium Paſtor. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed et Apo- " ſtolorum, ſic abſolute et indiſcrete totae commiſſae ſunt oues? *Si amas* " *me Petre, paſce oues meas.* Quas? illius vel illius ciuitatis aut regni? " oues meas inquit. Cui non planum, non aſſignaſſe aliquas, ſed aſſig- " naſſe omnes? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. " Sunt itaque, non abnegamus, et iſti veri paſtores, paſcunt actu, ſed non niſi portionem aliquam gregis dominici: Petrus autem ſolus Paſtor omnium conſtitutus eſt.

§. LXXIX.

Tertius locus, quem ex verbo Dei pro firmando iurisdictionis Primatu proferimus, habetur Lucae cap. XXII. vbi Chriſtus pro Petro rogaſſe, tantamque fidei conſtantiam eidem impetraſſe legitur, vt ipſe inſtar petrae immobilis ceteros in fide fortaſſis aliquando nutantes confirmare iubeatur. Verba ſacri eloquii haec ſunt v. 31. *Simon! Simon ecce! Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Magnum certe myſterium in ſe continet haec ratio Chriſti: omnes expetiuit Satanas, vt cribraret, et pro ſolo Petro rogat diuinus Magiſter. Si ſanctum Auguſtinum huius textus interpretem audire lubet, myſterium nobis pandit in quaeſtionibus ſuper vetus et nouum teſtamentum quaeſt. LXXV. vbi ſic diſſerit: " Quia ſicut in Saluatore erant

" omnes causae magisterii, ita et post Saluatorem in Petro omnes con-
" tinentur; ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset domi-
" nici gregis. Quid ambigitur? pro Petro rogabat, et pro Iacobo et
" Ioanne non rogabat, vt ceteros taceam? manifestum est, in Petro
" omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dig-
" noscitur. Semper autem in Praeposito populus aut corripitur,
" aut laudatur." Iuxta mentem huius S. Patris Christus pro Petro tamquam capite rogauit, vt capite in fide firmato, membra illius firmitate sustentarentur: iam vero, si Petrus caput est, si omnes sub hoc capite ita continentur, veluti populum in Praeposito contineri, corripi, aut laudari ex testimonio S. Augustini colligimus, nonne bene exinde inferimus, Petrum eadem iurisdictione membris suis praeesse, qua Praepositus populum, quem continet, regit? Verum repones, ex hoc Christi mandato nullum argumentum pro Primatu iurisdictionis in Apostolos et eorum successores Episcopos exercendae desumi potest; Christus in adducto textu solummodo praecepit Petro: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, si autem fratres sunt, quos confirmandos suscepit, nulla prorsus Petrum inter et Apostolos superioritas est, Primatus iurisdictionis nullus, quem si vel a longe intendisset Christus, dixisset magis: Et tu aliquando conuersus confirma *subditos tuos*. Argumentum hoc, quod quibusdam satis speciosum videtur, adeo stringens certe non est, vt nos a sententia, quam semel amplexi sumus, dimouere valeat. Fratris appellatio non semper potestatis aequalitatem, sed charitatis solum arctissimum vinculum indigitat. Christus Rex et Legifer noster, cui data est omnis potestas in coelo et in terra Matth. cap. XXVIII. v. 10. Apostolos suos fratres appellitat: *Ite, nuntiate Fratribus meis.* An ergo Apostoli Christo aequales erant? an Christo in hos fratres nulla potestas aut iurisdictio competiit? Filii Iacob coram Ioseph fratre suo incuruati prociderunt, nec respondere eidem poterant terrore perterriti Genesis cap. XLV. Fratres itaque confirmare iussus est Petrus, vt admoneretur, regimen suum debere esse suaue, charitatiuum, non vero dominatum redolens, quem Lucae cap. XXII. ab Ecclesia sua quam longissime proscripsit Christus.

§. LXXX.

§. LXXX.

Primatum iurisdictionis, quem tam authoritate Scripturarum, quam Patrum doctrinis hucusque romanis Pontificibus veluti legitimis D. Petri haeredibus stabilire conati sumus, ex ratione quoque eisdem competere debere probamus. Romanus Pontifex centrum vnitatis est, quod etiam Aduersarii haud negant: ergo hoc ipso Primatum iurisdictionis habeat, necesse est; quia sine hoc vnitatem in Ecclesia conseruare nequit.

Vt Pontifex centrum vnitatis sit, illud primas inter curas habere debebit, vt mediis proportionatis vnitatem Ecclesiae conseruet: ideo enim "Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio." Inquit S. Hieronymus L. I. contra Iouin: Haec media ad vnitatem seruandam necessaria certe nec Primatus honoris, nec authoritatis subministrat. Nuda namque illa praecedentia, sterilisque potestas dirigendi negotia Ecclesiae illos quidem in suo continebit officio, qui aliunde morigeri sunt, et lubenti animo admonentis excipiunt vocem, verum qua ratione recalcitrantes, qui data opera obtemperare nolunt, ad obedientiam vnitatemque reducere valeat huiusmodi Primas, plane non video, nisi Primatui authoritatis simul imperium ac iurisditionem inesse dicamus. Nec Chymeram forte credas, tales refractarios vmquam existere, qui monentis aeque ac obsecrantis vocem spernere ausi fuerint. Erant profecto omnibus Ecclesiae saeculis inobedientes, contumaces et peruersi, quod ad nauseam vsque nos docet Historia tum haeresum, tum et S. Cyprianus, quia suo iam tempore conquestus est lib. I. epist. III, quod haereses non aliunde obortae sint, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex cogitatur. Opus itaque est, vt vnus ille Sacerdos summam iurisdictionem exerceat, et obtemperare recusantes ad obedientiam fortiter compellat, secus nec capite etiam constituto schismatis tolleretur occasio.

§. LXXXI.

Accepit itaque D. Petrus, et in hoc romani Pontifices omnes summam potestatem regendi Ecclesiam per totum christianum orbem diffusam. Ast regimen istud non debet esse monarchicum, multo minus tyrannicum, sed iuxta formam a Christo praescriptam moderatum, ac charitate temperatum.

Quam formam in regimine Ecclesiae obseruandam Christus praescripserit, differt. I. §. XXXII. iam ostendimus. Exulare sane et quam longissime quidem ab Ecclesia sua omnem dominatum voluit diuinus Fundator, quem in finem non vni tantum regenti potestatem detulit, sed plures salua tamen subordinatione in participium potestatis illius admisit. Constituit Apostolos non ministros modo, sed Ecclesiarum quoque Rectores, quorum locum apud nos tenent Episcopi teste S. Hieronymo epist. 54. Hi sunt filii, qui pro Patribus nobis nati sunt, ita enim exponit Psal. LIV. S. Augustinus: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.* " Quid est, inquit, pro Patribus tuis nati sunt " tibi filii? Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt tibi " constituti sunt Episcopi. - - - Non ergo te putas desertam (Eccle-" siam alloquitur) quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia " non vides illos, per quos nata es; de plebe tua tibi creuit paternitas. " Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii Episcopi. " Haec forma regiminis ex institutione Christi adeo temperata nullo modo Monarchiam sapit, quia non vni summa potestas ita collata est, vt ceteri omnes ab hoc vno, quidquid iurisdictionis habent, accipere et quasi emendicare debeant. Collapsa Monarchia romani Pontificis, multo magis adhuc corruunt illa principia satis absona, quorum longum catalogum texit Febronius in praefatione libri sui singularis de statu Ecclesiae, vbi sermonem dirigit ad Doctores Theologiae et Iuris canonici. Sane Pontifices ipsi numquam talem iurisdictionem incircumscriptam, qualis dicto loco a Febronio describitur, sibi a Christo concessam esse cogitare potuerunt; omnis enim potestas, quae a Deo est, ordinata est, et non ad destructionem data intelligitur.

§. LXXXII.

Primatus ſummi Pontificis, quem hactenus delineauimus, non in nudo verborum ſono, ſed in quodam ſpeciali effectu conſiſtere debet; quoniam Primatus in genere complexus certorum Iurium eſt. Iura haec diverſi ſunt ordinis: alia ſunt ex ipſa Chriſti inſtitutione huic Primatui annexa, atque eſſentialia dicuntur. Alia vero ſucceſſu primum temporis eidem aduenerunt, ideoque inter aduentitia recenſentur. Regulam pro diſcernendis ab inuicem Iuribus iſtis damus ſequentem: Omnia illa Iura ex eſſentia romanis Pontificibus debent eſſe propria, ſine quibus vnitas in Eccleſia tamquam finis a fundatore primario intentus conſeruari nequit, reliqua, quae ad hunc finem tantopere neceſſaria non ſunt, ſecundariis et aduentitiis adſcribimus.

Ad vnitatem in Eccleſia vniuerſali conſeruandam oppido neceſſaria ſunt ſequentia capita: *primum*, ſuprema ac generalis omnium Eccleſiarum cura ac ſolicitudo non ſuper fideles ſubditos tantum, ſed ſuper ipſos etiam fidelium Paſtores; quia reſpectu horum omnium caput conſtituitur, ne quacumque demum de cauſa inter eos ſchiſmatis oriatur occaſio. *Secundum*, exacta ſacrorum Canonum cuſtodia, aut facultas etiam pro rei exigentia in iisdem diſpenſandi: leges enim Eccleſia non condit, niſi ad ſalutem fidelium, igitur ſi ratio diſpenſationem vrgeat, id munus prae ceteris romano Pontifici proprium erit. *Tertium*, iudicium in rebus fidei et morum, quod tamen aliqui interemiſticum tantum, non vero vltimatum eſſe contendunt; eoquod romanum Pontificem tum primum infallibilem agnoſcant, quando vniuerſalis Eccleſiae conſenſus acceſſit. *Quartum*, poteſtas ferendi leges Eccleſiam vniuerſalem obligantes. *Quintum*, ſi haereſis aut ſchiſma in Eccleſia oriatur, latiusque iam ſerpere incipiat, romano Antiſtiti proprium eſt, Concilium

generale conuocare, eidem per se, aut in suis Legatis praesidere, illud, approbare, veluti praecedente capite dictum fuit. Reliqua Iura, quae non omnibus retro saeculis romani Pontifices exercuere, aduentitia sunt, e. g. confirmatio, consecratio, translatio, resignatio, depositio Episcoporum et similia, quae olim in Conciliis prouincialibus expediebantur, ex quo satis euidenter constat, eadem Primatui iurisdictionis non ex diuina ordinatione inhaerere, quia toto illo tempore, quo aberant, nihilominus vnitas Ecclesiae conseruari et potuit, et actu conseruata est.

§. LXXXIII.

Quum romanus Pontifex caput sit totius Ecclesiae, quod membra in suo debeat continere officio, quum insuper eidem iudicium competat in rebus fidei et morum, quorum decisio ob periculum in mora positum nullam omnino dilationem patitur, aliter dicere non audeo, quam quod decreta his in circumstantiis edita infallibilis omnino sint authoritatis, non secus, ac si in Conuentu Ecclesiae vniuersalis fuissent condita.

Haec assertio nostra intelligenda non est de Pontifice, quatenus priuati Doctoris personam sustinet, sed quatenus est caput supremum in Hierarchia ecclesiastica ad regendam, informandamque Ecclesiam constitutum; in hoc sensu, si tamquam caput praeuia adhibita morali diligentia doctrinam fidem aut mores concernentem toti Ecclesiae proponat credendam, ac tenendam inuiolabiliter, authoritatis quoque infallibilis sit, oportet. Rationes pro firmanda hac sententia desumimus ex illis ipsis textibus, ex quibus eiusdem Primatum iurisdictionis probauimus, et tale conficiemus exinde argumentum: Petrus a Christo factus est petra adeo firma, vt portae inferi numquam sint praeualiturae contra Ecclesiam super hanc petram aedificatam, Petrus a Christo designatus est confirmator fratrum suorum, Pastor ouium vniuersalis, ergo hac ipsa infallibilitatis praerogatiua insigniri debuit, ne secus in omnibus istis mune-

muneribus neceſſario defectum patiatur: quomodo enim firma ſtabit Ecclefia ſupra fluctuantem petram aedificata, quomodo confirmabit fratres ſuos ille, qui ipſemet confirmatione quam maxime indiget? qualem dicamus Paſtorem, qui pro pane lapidem, pro piſce ſcorpionem quibus curae ſuae concreditis propinat? Hoc infallibilitatis donum D. Petro, et per eum ſummis Pontificibus conceſſum fuiſſe, non equidem ex toto negant Doctores galli, hanc tamen clauſulam addunt, vt non antea decretum ſummi Pontificis ad iſtum authoritatis apicem aſcendat, niſi poſtquam vniuerſalis Eccleſiae conſenſu comprobatum fuerit. Gabriel Antoine tract. de fide diuina cap. V. ar. V. num. 4. aſſerit, quod decretum pontificium in materia fidei et morum prorſus ſit infallibile, ac irreformabile accedente expreſſo vel tacito conſenſu vniuerſitatis moralis Epiſcoporum, quum perinde ſit, ſiue expreſſus ſiue tacitus et interpretatiuus Epiſcoporum conſenſus habeatur: vbi enim publica eſt Pontificis conſtitutio, et ad omnium notitiam peruenit, qui non contradicunt, procul dubio conſentire praeſumuntur. Loquitur celeberrimus hic author de conſenſu Eccleſiae non in Concilio, ſed extra illud ab Epiſcopis ſingulis vel expreſſe, vel ſaltem non contradicendo et tacite manifeſtato, id enim clare indicant verba vltimo loco poſita: vbi eſt publica Pontificis conſtitutio etc. Verum ne huic ſententiae ſubſcribamus, duplex nos ratio mouet. Prima eſt, quod nullibi in ſcripturis diuinis legatur, hanc infallibilitatis praerogatiuam Epiſcopis in ſingulari fuiſſe indultam; Chriſti verba apud S. Matthaeum cap. XVIII. ſtabiliendae huic opinioni minus fauent, loquitur enim diſſertis verbis ibidem de Paſtorum congregatione: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Neque vni ſingulari dictum fuit, ecce ego tecum ſum, ſed omnibus Apoſtolis in vnum collectis Chriſtus promiſit praeſentiam ſuam, Matth. cap. vltimo: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſaeculi.* Iam vero donum infallibilitatis, quod quiuis in particulari ipſe non habet, quomodo decretis pontificiis communicabit. Longe aliter diſcurrendum de Petro, pro quo Chriſtus ſingulariter rogauit, ne deficeret fides eius: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et ne quis crederet orationem ſoli Petro profuiſſe quoad perſonam priuatam, protinus additur, *Et tu aliquando confirma fratres tuos.* Hac oratione Petrus ſuffultus ipſe in fide non defi-

deficit, et aliorum simul vt defectum praecaueat, in mandatis accepit. Altera difficultas est, quod hac in sententia Ecclesiae haud satis prouisum videatur: opus certe foret, vt antequam de consensu tacito Ecclesiae constare valeat, decretum pontificium omnibus Pastoribus intimetur: accepta illius notitia, notabili satis tempore indigent ad inquirendum, an scripturarum sacrarum et traditionum monumentis conforme sit nec ne? vix enim Episcoporum consensum aut dissensum coeco impetu datum pro sufficienti agnoscent vel ipsi Aduersarii; nouo iterum interuallo opus est, usque dum facta inquisitione Ecclesia certior fiat, nullum aut actu huic decreto contradixisse, aut amplius contradicturum. Interea vero haereses impune grassabuntur, earum authores virus suum latius, latiusque euoment, et fideles quoque exspectatione suspensi erunt, quis demum in fine sanam doceat doctrinam? An credibile quis censeat, Christum sponsam suam tam periculosis euentibus voluisse exposiam? si opponas: omnibus his difficultatibus satis prouisum esse ex eo, quod vniuersi huic decreto pontificio morem gerere debeant, nec cuiquam fas sit, contrarium defendere aut docere. Verum ex hoc difficultas augetur magis quam tollitur. Vel enim decretum pontificium reformari potest, vel non? si secundum, ergo ex se iam est infallibilis authoritatis. Si primum, actu quoque contingere potest, vt reformetur, si vero hoc contingat, vniuersalis Ecclesia notabili satis tempore erroneam doctrinam professa est, ad quam tenendam a legitimo etiam Pastore inducta fuit; toto illo interuallo romani Pontificis iudicio sese submittere debuit. Si contendas, similem fortasse casum numquam euenisse, ideoque nec pro futuro timendum. Respondeo, licet hactenus nondum contigerit, pro futuro tamen minime securi sumus, quamdiu decreta pontificia ante consensum Ecclesiae manent reformabilia, nisi admittere velis, quod Ecclesia numquam sit contradictura propositae veritati, quae vtique inuariabilis est: sed hoc ipsum erit, quod nos dicimus. Huic sententiae de infallibilitate Pontificis dependenter ab Ecclesiae consensu Clerus gallicanus anno MDCLXXXII. quidem subscripsit, eamdemque in conuentibus parisiensibus publico decreto confirmauit, ast decennio postmodum illi ipsi Episcopi, qui dictis comitiis intererant, litteras ad Innocentium XII. anno MDCXCII. dederunt, in quibus ingenue fassi sunt, se admodum

in-

incautosRegis potius, quam veritatis amore ductos huic ſententiae calcu um ſuum adieciſſe. Verba huius epiſtolae ſunt ſequentia: " Ad pe-
" des beatitudinis veſtrae prouoluti profitemur, et declaramus, nos
" vehementer quidem, et ſupra omne id, quod dici poteſt, ex cor-
" de dolere de rebus geiſtis in comitiis praedictis, quae ſanctitati ve-
" ſtrae, et eiusdem praedeceſſoribus ſummopere diſplicuerunt, at pro-
" inde, quidquid in iisdem comitiis contra eccleſiaſticam poteſtatem,
" et pontificiam authoritatem decretum cenſeri potuit, pro non decreto
" habemus, et habendum eſſe declaramus. Praeterea pro non delibe-
" rato habemus illud, quod in praeiudicium Iurium Eccleſiarum deli-
" beratum cenſeri potuit." Ex his conſtat, nec Gallos vniuerſim hanc ſententiam tenere, ac pro veriori iudicare.

§. LXXXIV.

Poſtquam Chriſtus Eccleſiae ſuae dedit Paſtorem in tam ſublimi iurisdictionis gradu conſtitutum, aliter fieri haud potuit, quam vt fideles in rebus dubiis et magis arduis ad illum tamquam ad oraculum, conſilium, auxiliumque obtenturi, ſemper confugerint. Ipſi quoque Pontifices non ad inſtantiam ſolummodo partium, ſed motu etiam proprio ſaluberrimas ſaepius ediderunt conſtitutiones, quas omnes tamquam fontem originarium Ius noſtrum veneratur.

Conſtitutiones romanorum Pontificum duplicis claſſis recenſet Douiat Praenot. canon. lib. II. cap. XXI. num. 5. Illarum aliae ſunt *generales*, aliae *ſpeciales:* generales itidem ſunt vel *decreta*, quae nemine conſulente a ſummo Pontifice in Synodo maxime romana ſunt editae, vel *Epiſtolae decretales*, quae ſunt eorumdem Pontificum conſtitutiones ad conſultationem vel relationem ſiue Praelatorum, ſiue priuatorum emiſſae. Dicuntur autem ideo decretales, quia in iisdem re mature diſcuſſa aliquid generaliter valiturum decernitur. *Conſtitutiones* ſpeciales reſcripta proprie appelantur, et ſunt reſponſum ſummi Pontificis ſcripto red-

 ditum

ditum ad supplicationem aut instantium partium, in quibus gratia conceditur, aut circa causarum decisionem aliquid disponitur, vnde rursus illa rescripta in rescripta gratiae et iustitiae diuiduntur, de quibus interpretes fusius ad titulum Decretalium de Rescriptis tractant. Catalogum epistolarum a romanis Pontificibus editarum exhibet Douiat citat. loco cap. XXII. et sequ. Quomodo vero in corpus Iuris canonici relata fuerint, exponemus, vbi de collectionibus Iuris antiqui, medii et nouissimi differendi occasio erit.

§. LXXXV.

Vltimum Iuris canonici fontem originarium constituunt Regulae sanctorúm Patrum. Patris vero nomine intelligimus virum scientia et pietate non minus, quam competenti antiquitate venerabilem.

Tres qualitates Ecclesia requirit, ut quemquam titulo Patris honoret: *primo* aetatem competentem, quia sunt genitores nostri, qui Ecclesiam recenter natam, et quasi in incunabulis adhuc iacentem paterno fouere auxilio, verbo pascere, et nutrire exemplo debuerunt. Quousque vero ista aetas extendenda sit, non omnes inter se conueniunt: alii in Patrum numero adhuc recensent S. Bernardum saeculo X. Ecclesiam nostram illustrantem, alii hunc terminum restringunt vsque ad Ecclesiae saeculum VII. ita vt vltimum inter Patres locum occuparet S. Gregorius Magnus et Isidorus hispalensis. Illos, qui posteriori tempore floruerunt, Poedagagorum magis, quam Patris habere rationem contendunt. *Secunda* qualitas est scentia eminens, quae in Patre eo magis desideratur, quo certiorem viuendi regulam filii ab eo exspectant. Ne vero Pater aliud doceat verbo, aliud exemplo monstret, necessaria *tertio* est sanctitas non doctrinae tantum sed morum etiam, vt fideles argumentorum pondere moueat, exemplo vero trahat ad imitationem. Multos vltima haec conditio anxios tenet, quum illos etiam Patris titulo honorari audiunt, qui non ad finem vsque in vitae et morum sanctitate perstiterunt. De Tertulliano et Origene

gene certum eſt, quod hodiernum vsque in diem Sanctorum catalogo inſerti non ſint, et nihilominus venerabile Patris nomen bene multi iisdem adiiciunt. Verum quum Patrum Eccleſiae officium non in hoc ſolo conſiſtat, vt filios ſpirituales generent, quo in ſenſu ſanctitas doctrinae et morum oppido neceſſaria eſt, ſed inſuper eſſe debeant teſtes et depoſitarii ſacrarum Traditionum, ideo quoad iſtum ſaltem effectum Patris titulo non indigni erunt, quum ſaepe quam plurimum interſit Eccleſiae, vt veritas ex ore illorum quoque habeatur, qui, licet ab eiusdem communione ſegregati, veritati nihilominus teſtimonium vel inuiti dicere coguntur.

§. LXXXVI.

Quum in Iure noſtro nec ſcientia, nec ſanctitas poteſtatem legislatoriam tribuat, facile quiuis intelliget, doctrinam vnius alteriusue Patris ſtabilem agendi regulam nequaquam efficere, omnium tamen conſenſus circa aliquod dogma fidei aut morum, quum infallibile ſit Traditionis diuinae teſtimonium, certiſſimam tum credendi, tum agendi normam praeſtat.

Longe diuerſum eſſe, ſacras ſcripturas interpretari, et cauſas controuerſas authoritatiue decidere, aut iisdem decidendi legem praeſcribere, Gratianus diſtinct. XX. ſatis clare indicauit. Ad illud ſcientia, ad hoc vero iurisdictione quoque opus eſt, quae quum non ſingulis Patribus pro vniuerſali ſaltem Eccleſia competat, manifeſta ſequela eſt, eorumdem doctrinas vniuerſos fideles minime ligare poſſe, niſi ſpeciatim quaedam capitula ex illorum operibus deſumta ab Eccleſia recipiantur, et fidelibus ad imitationem proponantur. Vnanimis autem Patrum conſenſus tanti ſemper ab Eccleſia habitus eſt, vt ab eorum quoque loquendi modo recedere noluerit. Concilium conſtantinopolitanum III. act. II. dixit: " Omnino neceſſe eſt, non ſolum ſecundum " ſenſum ſequi Ss. Patrum dogmata, ſed iisdem vti vocibus cum illis, nihil-

" nihilque penitus innouari. " Quare vero tantam reuerentiam iisdem exhibeat, ſtatim in ſubſequentibus declarauit. " Sanctorum Patrum " dogmata tamquam leges ſanctae Dei ſuſcipiunt Eccleſiae. " Attamen probe notandum hic eſt, quod vnanimem Patrum conſenſum haud ita accipiamus, vt eadem res apud omnes ſine exceptione diſcuſſa et deciſa legi debeat. Sufficit nobis, ſi moraliter omnium habeatur conſenſus, prout id exponit Petronius ad Regem Angliae ita ſcribens : " Tunc " vnanimis Patrum conſenſus cumulate probatus aeſtimari debet, quum " ſingularum nationum eminentiſſimi in alicuius rei aſſertione conſenti-" unt, ita vt inter illos nemo, qui ſemper orthodoxis adhaeſit, diſ-" ſentiat. " Haec de fontibus Iuris canonici tam in genere quam in ſpecie dixiſſe ſufficiat: vberiorem horum omnium notitiam Iuris ſacri Candidatus pro temporis oportunitate ſibi ipſi acquirere poterit, ſi hauſtis ſemel primis principiis illud, quod in ſcholis didicit, aſſidua lectione in dies augere primas inter curas habuerit.

F I N I S.

POSITIONES
EX
VNIVERSO IVRE

EX
CORPORE THESIVM.

I. Ius canonicum eſt ſyſtema Regularum ſeu Legum ſacrarum e Scripturis diuinis, Traditionibus, Conciliorum Canonibus, romanorum Pontificum decretis, et SS. Patrum doctrinis deſumtarum ad regendam Eccleſiam, informandos mores atque ſalutem animarum procurandam conflatum.

II Huius originem ad Chriſtum Eccleſiae noſtrae fundatorem referimus.

III. Eccleſiam nouiter erectam Chriſtus voluit eſſe Rempublicam ſeparatam, et a Republica profana prorſus diſtinctam.

IV. Huius Rectores conſtituit Apoſtolos, quos proin omni poteſtate ad regendum neceſſaria inſtruxit.

V. Petrum tamquam Caput Eccleſiae et vnitatis centrum conſtituit, cui Rectores inferiores ex diuina inſtitutione debent eſſe ſubordinati.

VI. Haec poteſtas in Petro et Apoſtolis extincta non eſt, ſed ad legitimos ſucceſſores tum romanos Pontifices, tum reliquos Epiſcopos transiuit.

VII. Leges ab his tam in Conciliis, quam extra Concilia latae maximo incremento fuerunt Iuri canonico.

VIII. Scripturam ſacram, in qua leges a Chriſto et ab Apoſtolis ſancitae comprehenduntur, pro primario Iuris noſtri fonte veneramur.

IX. Vulgata noſtra a tridentino Concilio ipſis fontibus non fuit anteposita ſed inter latinas tantum verſiones authentica declarata.

X. Lectionem promiſcuam ſacrae Scripturae in lingua vernacula exaratae iu-

iustissimis ex causis prohibet regula IV. Indicis.

XI. Traditiones diuinas pari reuerentia cum verbo Dei scripto recipimus apostolicas vero et ecclesiasticas maximae authoritatis simul et vtilitatis in Iure nostro defendimus.

XII. Conciliorum origo Iuri diuino non sine ratione adscribitur.

XIII. Concilia generalia conuocatione, celebratione et exitu legitima sunt infallibilis authoritatis.

XIV. Votum decisiuum in Conciliis ex Iure diuino illis tamquam proprium est, qui a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei.

XV. Romanus Pontifex verus Petri successor praeter honoris et authoritatis primatum etiam iurisdictionis gerit.

XVI. Propterea tamen Monarcha dici nequit:

XVII. Neque Episcopi meri ipsius Vicarii sunt, sed potestatem, quam habent, a Christo immediate acceperunt.

XVIII. Si ex cathedra loquitur, in rebus fidei et morum infallibilem nobis regulam proponit.

XIX. Sanctos Patres tamquam Traditionum diuinarum et apostolicarum fidelissimos depositarios veneramur.

XX. Testes Traditionum Tertullianus et Origenes etiam esse possunt, licet postmodum in errores prolapsi sint, nec eosdem Ecclesia in Sanctorum numero recenseat.

EX IVRE NATVRAE ET GENTIVM.

I. Ius Naturae sine Deo Authore cognosci nequit.

II. Quamuis illud per lumen rationis nobis innotescere debeat, ratio tamen sibi soli relicta in illo inuestigando satis secure haud procedit.

III. In subsidium itaque adhibenda est reuelatio et Ecclesiae authoritas.

IV. Ius Naturae ita immutabile est, vt nullam admittat abrogationem, aut dispensationem proprie dictam.

V. Homo vitae et membrorum suorum dominium non habet.

VI. Ideo autochiria Iure naturae prohibetur.

VII. Licet hoc Ius iniustum vitae aggressorem occidere seruato moderamine inculpatae tutellae concedat:

VIII. Ad saluandum tamen honorem id minime indulget.

IX. Duellum ex hoc ipso Iure omni modo proscribitur.

X. Ius gentium est ipsum Ius naturae inter gentes applicatum.

XI. Sola potentia vicinae gentis crescens iustis bellorum causis non adnumeratur.

EX IVRE CANONICO.

I. Rescriptum gratiae aeque ac rescriptum iustitiae per dolosam ob-

aut ſubreptionem obtentum corruit.

II. Praeter actus populi ad conſuetudinem requiritur tacitus aut legibus ſaltem expreſſus ſuperioris conſenſus, ad quem colligendum in Iure certum tempus non aſſignatur.

III. Ex Iure diuino certum ſtabilemque modum prouidendi Eccleſiis vacantibus non habemus.

IV. Electiones ab antiquiſſimis ſaeculis in vſu erant, et licet per varias reſeruationes olim valde impeditae fuerint, hodie tamen per Concordata Capitulis Germaniae reſtitutae ſunt.

V. Ex eo, quod populus electionibus aliquando interfuerit, non legitime infertur, eumdem exercuiſſe quamdam particulam Iuris in Sacra.

VI. Electio, vt canonica ſit, requirit maiora vota reſpectu omnium eligentium.

VII. Si concurrit cum poſtulatione, ſufficit, ſi a maiori, quam tertia parte celebretur.

VIII. Vt poſtulatus in eodem concurſu electum vincat, duplicem maiorem numerum reſpectiue ad totum capitulum pro ſe habere debet.

IX. Qui poſſunt eligere, poſſunt etiam poſtulare, et qui praeſcripſit Ius eligendi, praeſcripſit etiam Ius poſtulandi.

X. Ex pacto nudo de Iure canonico non imploratio tantum Iudicis, ſed actio quoque datur.

XI. A laudo arbitri concedi poteſt reductio ad arbitrium boni viri.

XII. Clericus licet forum eccleſiaſticum pro competenti agnoſcat, tenetur tamen emptorem laicum de euictione laborantem in foro ſaeculari defendere.

XIII. Remedium ſpolii ne quidem de Iure canonico contra tertium bonae fidei poſſeſſorem competit.

XIV. Ius canonicum merito correxit Ius ciuile, quod praeſcriptionem non obſtante mala fide ſuperueniente probat.

XV. Res eccleſiaſticae etiam mobiles XL. annis praeſcribuntur.

XVI. Qui curam animarum habent, Iure naturali et diuino in theſi obligantur, vt reſideant in ſuis Eccleſiis.

XVII. Hodiedum non obſtantibus Concordatis, diſcrimen ſtatuendum eſt inter reſeruationes Iuris ſcripti et non ſcripti.

XVIII. Quum iuxta litteram Concordatorum per nullam aliam diſpoſitionem ſe impediturum promiſerit Pontifex ordinarios collatores, hinc nec manus papalis appoſitio, nec praeuentio eiusdem amplius locum habere poteſt.

XIX. In dubio, an beneficium in menſe apoſtolico, vel in menſe ordinarii collatoris vacare coeperit, probabilius pro ordinario ſtandum eſt.

XX. Annatae, prout in Concordatis moderatae leguntur, iuſte ac citra labem ſimoniae peti et ſolui poſſunt.

XXI. Authentica Concordatorum interpretatio ad ſummum Pontificem ſimul et Imperatorem, nec non ad inclytam nationem germanicam pertinet.

XXII. Non valet repudiatio legati a ſolo Praelato facta.

XXIII. Haeredis inſtitutio nec de Iure canonico alterius arbitrio recte committitur.

XXIV. Extraneus in regula, cui competit ius percipiendi decimas contra Parochum, non hoc ipſo etiam percipit noualia. Ab hac tamen regula dantur exceptiones.

XXV. Ius Patronatus fundo dotali cohaerens maritus exercet.

XXVI. Monachi, qui praeter vitam contemplatiuam etiam actiuam profitentur, curae animarum incapaces non ſunt.

XXVII. Quamuis immunitas eccleſiaſtica plurimum debeat priuilegiis Principum;

XXVIII. Exinde tamen non bene infertur: ergo ad nutum reuocabilis eſt.

XXIX. Ius aſyli in nouo teſtamento inſtitutionis humanae eſt:

XXX. Ac ſi modernam Eccleſiae diſciplinam ſpectemus, iſtud Ius reſtringendum magis quam extendendum videtur.

XXXI. Sponſalia ante ſeptennium contracta nulla ſunt.

XXXII Horum cognitionem longiſſimo tempore habuit Eccleſia, et hodiedum eamdem merito ſibi vindicat.

XXXIII. Iuri diuino conformiter ſtatuit Pontifex in cap. VII. de diuortiis, quod ſi vnus infidelium coniugum conuertatur ad fidem, et alter nolit paci fice et absque contumelia in Creatorem cohabitare, ſoluatur coniugium quoad vinculum.

XXXIV. Simonia, in prouiſionibus beneficiorum commiſſa, easdem irritas reddit, quamuis ſolum fuerit conuentionalis.

XXXV. Vſurae mere lucratoriae omni Iure proſcribuntur.

XXXVI. Quamuis priuilegia gratioſa abſolute a concedente ſemper ſint reuocabilia, ea tamen, quae titulo oneroſo acquiſita ſunt, Ius perperfectum operantur.

XXXVII. Priuilegiis titulo oneroſo acquiſitis aſſimilantur etiam priuilegia remuneratoria.

EX IVRE CIVILI.

I. Imperium merum non in ſola animadverſione tantum, ſed etiam cauſae cognitione conſiſtit

II. Actio publicana datur etiam vero domino.

III. Quamvis remedium L. 2 cod. de reſciad. venditione in transactione locum non habeat:

IV. Optime tamen ad emtorem extenditur, qui tum enormiter laeſus eſſe cenſetur, ſi pro re valente 100. dederit 151.

V. Mulier etiam edocta de beneficio Scti Velleiani, eidem de rigore Iuris renunciare nequit.

VI. In commodato non est locus compensationi.

VII. Thesaurum in fundo vendito ante traditionem sine opera illicita a venditore repertum ex integro ad eum ipsum spectare iudicamus.

VIII. Periculum rei in specie venditae et nondum traditae ad emtorem pertinet.

IX. Conductor ob incendium in aedibus conductis ortum non tenetur resarcire damnum, nisi locator culpam probauerit.

X. Pater non tenetur dotare filiam alias locupletem.

XI. Tutor ob culpam latam remotus non fit infamis.

XII. Super relictis in testamento tabulis non inspectis transigi nequit.

XIII. Neque filius familias de peculio extraordinario testari potest.

XIV. Donatio ob superuenientem liberorum natiuitatem reuocari non valet.

XV. Possessor bonae fidei fructus consumtos facit suos, licet ex illis factus sit locupletior.

EX IVRE PVBLICO.

I. Collegium electorale a Gregorio V. et Ottone III. institutum fuisse, sufficienter hactenus nondum probatum est.

II. Maiestati caesareae capitulatio non derogat.

III. Pax religiosa et westphalica ex capite vis et metus impugnari non potest,

IV. Sed sancte seruanda est etiam quoad ea, quae exercitium Religionis et vsum bonorum ecclesiasticorum concernunt, non obstante protestatione pontificia, quae nihilominus suo effectu non caret.

V. Est tamen vtraque pax strictae interpretationis:

VI. Ideoque tantum tres Religiones in pace westphalica memoratae eius beneficio gaudent.

VII. Votum commune statuum augustanae confessioni addictorum secundum eorum maiora in vim conclusi adornatum, omni ordini comitiali, legibus, et formae Imperii aduersatur.

VIII. In solis negotiis Religionem vel directe vel indirecte concernentibus, pluralitas suffragiorum non obtinet.

IX. Simultaneum innoxium libere introduci potest a Domino territoriali.

X. Emigrare volentes inniti transplantari nequeunt.

EX IVRE FEVDALI ET CRIMINALI.

I. Inuestitura per annulum et baculum recte fuit abrogata:

II. Per hanc tamen abrogationem Imperatori de legitima sua potestate nihil decessit.

III. Femina a Feudo ſemel excluſa, non manet ſemper excluſa:

IV. Neque excluditur ſemel admiſſa a maſculo poſtea nato.

V. Clerici ſaeculares in Germania ſucceſſionis feudalis capaces ſunt.

VI. Felonia a Praelato commiſſa Eccleſiae nullum nocumentum adfert.

VII. Filius per ſubſequens matrimonium legitimatus de rigore Iuris ad ſucceſſionem feudalem non admittitur.

VIII. Tortura an bene inter Chriſtianos recepta ſit, in Theoria merito dubitatur:

IX. Praxis tamen curiarum ſaecularium contraria iniquitatis argui non poteſt.

X. Fur legitime condemnatus, ſi rupto fune incolumis de patibulo delapſus ſit, a morte non liberatur.

V. I. O. G. D.

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schmetterer, Modestus / Sutor, Andreas, / Hieronymus

Introdvctio In Vniversvm Ivs Canonicvm quam sub auspiciis Hieronymi Josephi Francisci de Paula, Archiepiscopi et S. R. I. Principis Salisburgensis

Salisburgi [1772]

4 Diss. 4695
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11026405-1
VD18 90872258